AUTHOR:

WOLDT, KURT

TITLE:

DE ANALOGIAE
DISCIPLINA APUD

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1911

Master Negative #

92-80540-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Woldt, Kurt, 1886-
De analogiae disciplina apud grammaticos Latinos. Dissertatio...quam...scripsit Curtius Woldt... Regimonti, ex officina Kargiana, 1911.
114 p. 22 cm.

Thesis, Königsberg.

...phlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/7/92 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter


1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm


1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.





DE ANALOGIAE DISCIPLINA APUD GRAMMATICOS LATINOS

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CURTIUS WOLDT
EYDTKUHNENSIS

REGIMONTI
EX OFFICINA KARGIANA ET MANNECKIANA
MCMXI

Gedruckt mit Genehmigung
der philosophischen Fakultät der Kgl. Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.
Referent: Professor Dr. O. Rossbach.

JOANNI TOLKIEHN
PRAECEPTORI CARISSIMO

Grammaticae Graecae historiam qui vel primoribus labris gustaverit, eum fugere non poterit, inde a Stoicorum temporibus magnam fuisse inter viros doctos de analogia atque anomalia disceptationem. Quam apud Romanos quoque summi momenti fuisse non est mirum, quippe quos cum multas artes tum grammaticae disciplinam a Graecis accepisse notum sit. Sed quid Latini grammatici de analogia et anomalia docuerint, nequaquam satis adhuc videtur esse explicatum. Itaque cum ego in hanc materiam diligenter inquirere statuissem, nullo modo fieri posse brevi intellexi, ut in tanta rerum copia et varietate omnia, quae eo pertinent, una dissertatione complexus absolverem. Satis igitur habeo nunc de analogiae disciplina pro tenui infirmaque parte agere, quae ad anomaliam spectant quaestiones [1]) in futurum tempus reservaturus. Fontibus autem plane iisdem usus sum, quibus Ludovicus Jeep in praeclaro illo libro, qui inscribitur „Zur Geschichte der Lehre von den Redeteilen bei den lateinischen Grammatikern“, Leipzig 1893. Quamquam in Varronis quoque libris „de lingua Latina“ multifariam analogiae mentionem fieri non ignoro, tamen haec omittenda esse arbitror, quia et a doctrina recentiorum grammaticorum, qui eximia Henrici Keilii opera exstant collecti, quadamtenus

---

[1]) „De praeceptis Romanorum euphonicis“ scripsit Carolus Heuer diss. Jenae 1909.

abhorrent et iam ab aliis carptim breviterque sunt perstricta[1]).

Atque primum quidem disseram de artis vocabulis, deinde exponam quid esse putaverint analogiam grammatici et quomodo facta sit, tum exempla, quae quidem maxime digna sint, quae commemorentur, legentibus proponam.

I.

Romanos cum artis grammaticae elementa accepissent a Graecis, Graecorum quoque artis vocabula sua fecisse non miramur; ac vero vox „analogia“ apud antiquissimos videtur floruisse, nam et Varro, cum notitiam habeat verborum idem significantium[2]), creberrime eam adhibet[3]), et Seneca (Epist. CXX, 4) eodem verbo a grammaticis Latinis civitate donato in philosophiae rebus tractandis se usurum esse dicit „non tamquam recepto, sed tamquam usitato“. Postea vero hoc verbum Latinis vocabulis depulsum rarius occurrit; quotiens in eorum grammaticorum libris, quos Keilius collegit, inveniatur ex iis, quae sequuntur,

---

[1]) Praeter Wilmannsii illam commentationem „de Marci Terenti Varronis libris grammaticis“, Berol. 1864, commemorandi sunt hi: Lersch, „Die Sprachphilosophie der Alten“, Bonn 1838—41, I p. 117 sqq.; Steinthal „Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern“. Berl. 1891, II p. 130 sqq., quorum libros aliis quoque huius commentationis locis mihi usui fuisse postmodo apparebit, Reitzenstein „M. Terentius Varro und Johann Mauropus von Euchaita“, Lpz. 1901; conferas denique ea quae praefati sunt editionibus suis A. Spengel, Berl. 1885 et Goetz et Schoell, Lps. 1910.

[2]) cf. Henric. Stephani ad M. Ter. Varronis assertiones analogiae sermonis Latini append. 1591, cap. XI et Thes. l. l. s. v. 〉analogia〈.

[3]) Complures locos compositos invenies in indice editionis Jos. Scaligeri, Paris. 1581.

apparebit. Exstat apud Scaurum (3), Charis. (c. 12ies)[1]),
in Exc. Bob. (1), in Donatiani frgm. (11), apud Dona-
tum (2), Servium (1), Cledon. (6), Pompei. (7), Dio-
med. (17), Consent. (15), Prob. Jnst. art. (13), Prob.
De nom. excerpt. (3), in libro De ultimis syllab. (1),
apud Mar. Victorin. (1), Macrob. (2), Palaemonem (2),
Priscian. (61), Eutych. (2), Albin. Magist. (1), in Arte
Anon. Bern. (3), Sergii Exposit. (1), Comment. Ein-
sidl. (2). — Ergo vocabulum 〉analogia〈 170ies fere
invenitur, ac saepissime Priscianum id usurpare
videmus; ceterum notandum est grammaticos praeter
Charisium et Diomedem, qui maiorem numerum
ostendunt, velut Pompeium Probum Consentium, ut
taceam de Donatiani fragmento, illud vocabulum
imprimis in definitionibus, de quibus postea est
disserendum, adhibere, apud Priscianum autem om-
nem definitionem deesse. Sed cum Romani, ut iam
supra commemoravi, iis artis vocabulis, quae a Grae-
cis acceperant, non fuerunt contenti, tum in libris
grammaticorum loci inveniuntur haud ita pauci, ubi
Graeca illa vocula 〉analogia〈 in Latinum transfertur.
Sunt autem hi: Scaurus Gr. L. VII p. 12,7 „. . .
proportione quae Graece ἀναλογία dicitur“. Ser-
vius IV p. 435,15 „Analogia . . . Latine proportio
vocatur“. Pompei. V p. 197,22 „quae est analogia? . .
Latine proportio dicitur: analogia Graece, Latine
proportio“. Consent. V p. 353,19 „analogia est quam
nos proportionem dicimus“. Comment. Einsidl. (An.
Helv. p. 245,30): „Quam analogiam, i. e. proportionem“.

---

[1]) Comprehendi nomine Charisii etiam eos locos, qui
e Julio Romano deprompta exstant, quamquam huius gramma-
tici operis frusta posteriore demum aetate Charisii arti inserta
esse Jeepio assentior („Die jetzige Gestalt der Grammatik des
Charisius“, Rh. M. 51, 1896 p. 424 sqq.), cuius sententiam etiam
novis argumentis confirmavit J. Tolkiehn „Zitate aus der
Grammatik des Charisius“, B. ph. W. 1908, p. 1167 et „Cominia-
nus“ Lpz. 1910, p. 11 n. 3 et p. 57 n. 2.

Diomed. I p. $384,_{15}$ „Analogia . . ., i. e. proportio“. Diomed. p. $456,_{4}$ „regula sermonis, quam Graeci analogian vocant, quidam ex nostris proportionem“.

Itaque cum ubique „proportio“ posita sit, hanc propriam vocem Latinam voci ⟩analogia⟨ respondentem esse conicere licebit. Qui primus vocem ⟩proportio⟨ formaverit, incertum est. Non multo abhinc Cicero eam invenisse putabatur, in cuius Timaei cap. 4 § 13 haec verba tradita esse viderentur: „id optime adsequitur quae Graece *ἀναλογία*, Latine — audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur — comparatio proportio v e (cf. Orellii et C. F. W. Mülleri editiones) dici potest.“ Quam opinionem evellit Otto Plasberg, qui Mus. Rhen. vol. LIII (1898) p. 74 sqq. et nuperrime in editione (Lps. 1908), ubi varias codicum lectiones diligenter annotat, meliorum codicum scripturam „comparatio proporti o n e“ tuendam esse suo iure contendit; idem alio loco (c. 7 § 24), ubi qui ante eum hunc librum Ciceronis ediderant haec verba „per eandem proportionem comparationemque“ receperant, „per eandem pro portione comparationem“ [1]) legendum esse animadvertit.

Simili atque Cicero formula Varro de l. L. X 37 Graecum vocabulum *ἀναλογία* Latine interpretatus est:

[1]) Recte monet Plasberg Ciceronem paulo post c. 5 § 15 vocem ⟩*ἀναλογία*⟨, quae simili loco apud Platonem exstet per ⟩comparationem⟨ nulla alia voce adiecta circumscripsisse, atque similiter Quintilianus (Jnst. or. I $6,_{9}$) hoc verbo utitur, cum dicit: „sed non est haec vera comparatio“ eqs. Quod vero a posterioribus grammaticis vocula ⟩comparatio⟨ loco vocis ⟩analogia⟨ vitabatur, ideo factum esse puto, ne ambiguum esset, utrum analogia an collatio adiectivorum significaretur, licet Pompeius V p. $197,_{24}$ dixerit: „analogia est conparatio“; ceteri grammatici addunt „similium“ (cf. Isid. Orig. I 281 „analogia Latine similium comparatio sive proportio nominatur“). — Vocabulum ⟩collatio⟨ nonnisi apud Priscianum III $65,_{14}$ sqq. ad analogiam quodammodo videtur spectare; conferas tamen glossam C Gl L III $488,_{72}$ „collatio-*ἀναλογία*“.

„sequitur“ inquit „tertius locus quae sit r a t i o p r o p o r t i o n e [1]); ⟨e⟩a Graece vocatur *ἀνὰ λόγον;* ab analogo dicta analogia.“ Tamen apud eundem grammaticum uno loco, de l. L. VIII 57[2]), etiam voculam ⟩proportio⟨ occurrere fugit Plasbergium. Quae cum ita sint, iam aut Varroni vocem ⟩proportio⟨ aliunde notam fuisse concedamus aut ab eo ipso illud vocabulum fictum esse coniciamus necesse est[3]).

Nam quod Quintilianus in Jnst. or. I $6,_{3}$ „analogia“ inquit „quam p r o x i m e ex Graeco transferentes in Latinum proportionem [4]) vocaverunt,“ adverbium ⟩proxime⟨ non idem quod ⟩nuperrime⟨, sed idem quod ⟩optime⟨ significare, iamdudum constat inter viros doctos. Mirum autem est Plasbergium, cum ipse ante Quintilianum neminem vocem ⟩proportio⟨ usurpasse dicat, nisi forte Vitruvium[5]), mentionem non fecisse illius loci, ubi Vitruvius opera data ⟩analogiam⟨ in Latinum vertit (III $1,_{1}$): „⟩symmetria⟨“ inquit „paritur a proportione, quae Graece *ἀναλογία* dicitur.“ Rectissime autem idem vir doctus etiam simplex vocabulum „portio“ loco analogiae in veterum usu fuisse exposuit, qua de causa verba Antistii Labeonis quae leguntur

[1]) Wilmanns l. l. p. 80, not. 1 coniecit „ratio proportio n i s“, quod videtur non esse verisimile.

[2]) „ex his vocabula non reddunt proportionem“, ubi nihil opus est coniectura Scioppii proponentis „redduntur proportione“, cum haec verba „proportionem non reddere“ optime respondeant elocutioni quae antecedit: „non servare similitudinem“.

[3]) Auli Gelli verba quae exstant II $25,^{2}$ „*Ἀναλογία* est similium similis declinatio (cf. Varro, X 74), quam quidam Latine ⟩proportionem⟨ vocant,“ Varroni deberi contendit Kretzschmer „de Auli Gelli fontibus grammaticis“ diss. Gryphisw. 1860, p 8 et p. 47.

[4]) Praeterea uno loco Quintilianus vocem ⟩proportio⟨ adhibet I $6,_{9}$ „quam proportionem sequenti . . .“

[5]) Saepissime haec vocula apud Vitruvium offertur atque imprimis numero plurali, de qua re conferas Indicem Vitruvianum a Nohlio confectum, Lps. 1876.

apud Festum p. 235, 9 M.: „penatis singulariter Labeo Antistius posse dici putat, quia pluraliter penates dicantur, cum patiatur ›portio‹ etiam penas dici, ut optimas primas Antias," ubi Mueller ›proportio‹ ediderit, Thewrewk crucem posuerit, fortasse integra servari posse sagaciter colligit. Equidem vero, iam antequam Plasbergii commentationem inspexi, similiter iudicaveram de loco quodam Prisciani, qui II p. 385,1 Staberium grammaticum, (quem constat iam Sullae aetate floruisse; cfr. Hillscher in Fleckeiseni Annal. 18 a. 1892 p. 366) ›de proportione‹ scripsisse tradit. Quo loco cum nonnulli codices melioris notae ›de portione‹ praebeant, nescio an haec lectio iam a Krehlio in editionem a. 1819 sq. recepta praeferenda sit, praesertim cum ceteris Prisciani locis, ubi hoc verbum occurrit, codices ad unum omnes formam „proportio" exhibeant. — Licet alii aliter de his rebus iudicent, grammaticis posterioris aetatis vocula ›proportio‹ minime iucunda videtur fuisse, cum nisi a Macrobio et Prisciano non adhibeatur. Non satis clarum est, utrum in verbis, quae exstant apud Charisium I p. 182, 32 „sequitur ut tenere proportione dicatur ut libere", nomen substantivum ›proportio‹ an praepositio cum substantivo coniuncta ›pro portione‹ insit.

Omnis analogiae fundamentum cum similitudo sit — ut Varronis utar verbis (de l. L. X 72) — facile fieri potuit, ut vocula ›similitudo‹ usitatissima ipsa a grammaticis pro analogia poneretur[1]). Quod praeterea occurrit substantivum ›aequalitas‹, hoc non eandem vim habet quam vocula ›aequabilitas‹, qua Varro utitur[2]), cum nihil aliud significet nisi aequalem numerum syllabarum aut temporum[1]). Quamquam id, quod est huic contrarium — ›inaequalitatem‹ dico — optime respondere ›anomaliae‹ Pompeius V 231,29 testatur his verbis: „noli putare unam anomaliam esse, i. e. unam ›inaequalitatem‹[2])". Quas quidem voces — similitudo et aequalitas — num Romani ex suo ingenio analogiae adaequaverint, valde dubito, sed potius eas e Graecis ›ὁμοιότης‹ et ›ἰσότης‹[3]) conversas esse crediderim, cuius rei vestigia quaedam apparent apud Marium Victorinum VI 42,12 „. . . aequalem rationem esse, i. e. ἴσον λόγον" et 42,15 „ἴσος ῥυθμός, i. e. aequalis". Ceterum quamvis docte Macrobius V p. 631,11 quibus in rebus verba ›similis‹ et ›idem‹ inter se dissentiant disserat, tamen Romanos vocabula ›ἴσος et ὅμοιος, aequalis et similis‹ non accurate separavisse ex his fere locis licet intellegere: Cledon. V p. 48,4 „isocatalectica, i. e. simili modo finita . . . pari syllaba terminata", Consent. V p. 353,21 sqq. „analogia similium ratione versatur, ... ergo analogia in conlatione maxime parium perspicitur", Beda VII p. 284,4 „perinde aequaliter, similiter ex uno Graeco ὁμοίως". ›Similitudini‹ quoque ›imitationem‹ propinquam esse cum per se patet, tum inde colligi potest, quod Priscianus eas voculas II p. 442,7 sqq. in una sententia miscere non dubitavit; ceterum vero ›imitatio‹ maxime in hac formula exstat Prisciani „ad imitationem Graecorum" (II 183,14; 407,24; 442,10; III 271,26; 407,11,17 al.). Cui speciei verborum ›con-

[1]) Varro iustum librum composuit „de similitudine", de quo egit Wilmanns l. l. p. 134 sqq.

[2]) Ut unum afferam locum notissimum (de l. L. IX 1) „Aristarchus de ›aequabilitate‹ cum scribit . . ."

[1]) cf. Macrob. V 603,33; 618,13; Mar. Victorin. VI 48,3 89,21, 22; Atil. Fortunat. VI 282,5; Anecd. Helvet. 25,34. — Similiter intellegendum est verbum ›parilitas‹ (Mar. Victor. VI 87,33; An. Helv. 25,30; 29,33; 38,28, 30, 32); cf. glossam quae exstat in Comment. Einsidl. (An. Helv. 25,11): „paries dicitur a parilitate, i. e. ab aequalitate."

[2]) cf. Gell. II 25 „Ἀνωμαλία est inaequalitas declinationum . . ."; apud Varronem etiam ›dissimilitudo‹ invenitur loco anomaliae, velut de l. L. VIII § 23.

[3]) cf. Lersch l. l. I p. 4.

sequentia⟨ quoque adserenda est quae Graeco nomini ⟩ἀκολουθία⟨ respondet[1]). Auctor enim Donatiani fragmenti, quod vocatur, VI p. 275,16, quem locum in altera parte fusius tractabimus, ita definit analogiam: „ἀναλογία ἐστὶ συμπλοκὴ λόγων ἀκολούθων[2]), i. e. conexus orationum consequentium". Substantivum vero imprimis invenitur apud Priscianum [3]), ac contigit mihi commentatione Matthiae[4]) niso, ut nonnullos locos invenirem, quibus Priscianus Apollonii Dyscoli vocabulum ⟩ἀκολουθία⟨ per ⟩consequentiam⟨ reddidit: Apoll. Dysc. περὶ συντάξεως (Bekker) p. 101,28 „πρὸς ἀκολουθίαν" ∾ Prisc. III 144,19 „ad consequentiam", Apoll. Dysc. p. 202,1 „εἰς τάς δεούσας ἀκολουθίας ∾ Prisc. III 183,2 „ad convenientes consequentias", Apoll. Dysc. p. 102,21 „τὸ ἀκόλουθον παρῃτήσατο" ∾ Prisc. III 145,11 „consequentiam recusavit", Apoll. Dysc. p. 103,11 „τὸ ἀκόλουθον ἀπένευσαν" ∾ Prisc. III 145,15 „consequentiam evitarunt"[5]). De adiectivo „consequens" iam supra dixi; cf. Apoll. Dysc. 102,10 ∾ Prisc. III 145,1; Apoll. Dysc. 102,24 ∾ Pr. III 145,14 al. [6]); accedunt reliqua adiectiva et adverbia

[1]) cf. C. Gl. L. 233,4. De significatione vocis ⟩ἀκολουθία⟨ disserit Schneider in comment. crit. in Apoll. Dysc. scripta minora, Lps. 1902 p. 21.

[2]) cf. Romanus de analogia (Char. I 116,30); apud Romanum I 229,3 etiam adiectivum ἀνακόλουθον occurrit.

[3]) II 550,20; 581,7; III 28,14; 119,15; 144,19; 145,11, 15; 159,16; 183,2, 16; 200,27; alia est significatio huius verbi III 214,21; 221,25; 247,19.

[4]) Theodor Matthias, Zu alten Grammatikern, Fleckeis. Annal. suppl. 15 (1887) p. 591 sqq.

[5]) Fortasse etiam in Diomedis capite „de specie poematos communis" I. p. 483,4 sqq. ubi multa ad Graecum fontem referenda esse manifestum est, voculam ἀκολουθία (p. 484,10) translatam esse conici potest, praesertim cum illa sententia respiciatur inserta „. . . in mutuam, u t s i c d i x e r i m, consequentiam. . ."

[6]) Apud Varronem quoque adiectivum ⟩consequens⟨ obviam fit de l. L. IX 90: „consequentis casus"; aliter interpretandum est apud Charisium II p. 154,24, in Exc. Bob. I 533,28, 30; ap Prisc. III 146,10 ∾ Apoll. Dysc. 103,28.

aliaque vocabula, quibus proportio quodammodo significatur, velut ⟩similis similiter, aeque adaeque aequalis (cf. An. Helv. p. 77,17) aequaliter (cf. Prisc. III 413,8 sq.), par parilis pariter pariliter, congruus congrue (cf. Prisc. III 144,25 sqq.), conformis (cf. An. Helv. 176,8) idem; respondere consentire congruere imitari⟨ al.

Jam ad ea vocabula transeamus, quae quamvis non idem significent, tamen cum cognationem quandam habeant cum analogia nonnunquam pro ea ponuntur. Ac primum quidem de voce ⟩regula⟨ dicam[1]). Regulam autem analogiae affinem esse ex illis locis optime intellegitur, ubi ea cum analogia coniungitur aut anomaliae opponitur. Analogia vero a Diomede I p. 456,4, 10 ⟩regula sermonis⟨ vocatur[2]); Donatus IV p. 379,3 = Diomed. 307,4 ⟩analogiam vel regulam praeceptorum⟨ euphoniae obicit, Priscianus II 564,12 regulam cum ⟩similitudine⟨ componit, in Arte Anon. Bern. (An. Helv. 124,8) legimus ⟩secundum analogiam et regulam⟨. Anomaliam vero regulis esse contrariam Donatus IV p. 383,13 sq.[3]) et Palaemon V p. 539,21[4]) aiunt. Accedunt singuli loci, ubi regula contra varia genera anomaliae pugnare dicitur:

r e g u l a — a u c t o r i t a s:

cf. Donat. IV 386, 2; Serv. IV 409, 7 sq; 429,20; 439,7; Cled. V 22,11; 37,13; 63,14; 64,3; 65,23; Pompei. V 144,15 (h. e. Plinius); 145,1; 253,23; Audac. VII 348,2;

[1]) Nugas etymologicas ad ⟩regulam⟨ pertinentes profert Priscianus III p. 479,8: „Regulus" inquit „et regillus, quae etiam propria inveniuntur. inde puto etiam regulam dici, qua mensura exaequatur, quasi mensuram regens."

[2]) cf. Charis. I 51,3 = Diom. 439,20 „analogia sermonis . . . o r d i n a t i o est."

[3]) „sunt verba extra hanc regulam, quae inaequalia dicuntur" (cf. Explan. in Donat. IV 554,1; Cled. V 58,30; Prisc. II 88,15).

[4]) „horum vero nominum et pronominum anomalia est, id est inaequalis declinatio contra regulam."

Augustin. V 517,7; Prisc. III 464,7; 472,7 sq; Beda VII 252,16.

regula-euphonia:

cf. Consent. V 354,17,29; 356,15 sqq.; Expl. in Donat. IV 513,18 sqq.; Augustin. V 517,1; Prisc. III 11,5; 463,17; Palaemon. V 536,6; 542,21 sq.[1]). Ars Anon. Bern. (An. Helv. 120,4).

regula-consuetudo (usus):

cf. Diom. I 305,28; 349,7; Consent. V 356,28; 383,11; Prisc. II 176,6.

regula-antiquitas:

cf. Beda VII 270,28.

Quae quamvis ita se habeant, tamen regulam non plane idem esse atque analogiam docet Consentius, qui V p. 353,19–21 „haec (analogia)“ inquit „quae ad grammaticam pertinet, longe angustior et contractior res est quam regula. haec enim latius generaliusque definitur“, et p. 353,25–28 „ergo analogia nominum in conlatione maxime parium . . . perspicitur. regula autem generalitate quadam magnam multitudinem nominum comprehendit quae sub eandem rationem cadunt“. Haec licet recte se habeant, tamen iis quae sequuntur, grammaticus ipse irrita fecit. Nam cum ei propositum sit comprobare verba ad eandem regulam pertinentia, velut musa et poeta, analoga esse non oportere, miro modo verba a regula quadam discrepantia inter se analogia coniungi posse colligit: cf. p. 353,21–25: „analogia autem in paucis exemplis similium ratione versatur, in tantum ut plerumque etiam in his dictionibus, quae regulae non serviunt . . . inveniri analogia possit, sicut suo loco

[1]) „namque plurima in verbis, quae rancidule audiebantur, polita sunt, ut per anomaliam mollius sonarent quam per rectam regulam.“

paulo post[1]) demonstrabimus“ et p. 363,38—364,3: „sane quoniam paulo diximus superius plerumque esse etiam nomina quae extra regulam sunt, in analogiam tamen venire, scire debemus esse quaedam nomina ita propria ac sola, ut ne in analogiam quidem cadant, ut est caro carnis, Anio Anienis“. — Quae verba cum ad persuadendum non sint idonea, regulam latius patere quam analogiam[2]) melius fortasse ex hac re intellegetur, quod nonnullis locis voce „regula“ Graecum vocabulum ὁ κανών redditur, velut ap. Consentium V p. 353,30: „de regulis quas Graeci canones appellant“ et apud Bedam VII p. 268,12: „canon Graece, Latine regula“ (cf. Dosith. VII 432,10 „regulor— κανονίζω“) similesque glossae exstant multae (C Gl L II 171,24; 338,24; 493,59; 520,14 al.). Quid autem sint canones illi Graecorum, i. e. quatenus ad analogiam spectent, recte exponit Ribbach:[3]) „Enucleata“ inquit „atque proposita similitudine, quae inter se similia viderentur vocabula, sub unum adspectum posita sunt ordineque digesta; itaque genera quaedam vel classes et declinationes et coningationes constituta sunt, quibus nomen fuit Graecum κανόνες. Quo facto

[1]) p. 355,4–7 „quaecumque nomina ablativo casu singulari i littera fuerint terminata, genitivum pluralem in ium . . . mittunt, ut ab hac puppi harum puppium“ . . . p. 355,24–27 „nec tamen perpetua est haec regula. nam inveniuntur quaedam nomina aliter inclinata in genitivo plurali, ut ab hoc vigili pugili horum vigilum pugilum; quae duo analogia inter se confert, quamvis regulae non serviant.“

[2]) Quod Palaemon V p. 539,21 ait „haec analogia est, i. e. regula perpetua“, eam dicit regulam, a qua pauca sint excepta (cf. l. l. v. 12 sq.); elocutionem ⟩regula perpetua⟨ modo apud Consentium scriptam vidimus V 355,25; conferas praeterea Pompei. V 193,17; August. V 500,29; ⟩perpetua observatio⟨ Cons. V 357,4; ⟩perpetua declinatio⟨ Cons. 378,2; ⟩perpetuum⟨ Cons. 356,2.

[3]) „De Aristarchi Samothracis arte grammatica“ Progr. Naumburg 1883, p. 37. — Praeterea de canonum ratione egerunt Lübbert Rh. M. XI (1856) p. 438; C. Wachsmuth, „De Cratete Mallota“ p. XII sqq.; Steinthal l. l. II² p. 147 sqq., p. 150, p. 153.

similitudo iam non ubique, quod fuit absonum, sed in suo quoque genere fuit quaerenda, et, ut ait Varro, ⟩non si genus cum genere discrepat, sed in suo + quisque (sic G. et Sch., quoiusque Ribb.) genere si quid deest requirendum⟨ (Varro, de l. L. IX 102; cf. ibid. § 83). In ea re igitur cardo studiorum Aristarcheorum de analogia versabatur, ut canones constituerentur, cuius rei sunt testimonia e. g. Etym. Mag. 816,53: *ἀναλογία ἐστὶ κανόνων ἀπόδοσις*". — Quando autem verbum ⟩regula⟨ apud artis scriptores frequenter in usu esse coeperit, non constat. Apud Varronem cum raro inveniatur et—sicut apud omnes priorum temporum scriptores—tantum singulari numero [1], posterioris aetatis grammaticis vox ⟩regula⟨ usitatissima est (decies in una pagina Pompei V p. 191), atque eo magis mirum est, quod nec in Catholicis Probi nec in Institutis artium obviam fit, quamvis Cledonius V p. 45,18 dicat: „Probus in arte, quam ⟩de regulis⟨ scripsit, hic later posuit" (cf. Prob. Cath. IV 17,4). — Sed nec regulam nec ceteras quas commemorabo voces unoquoque loco ⟩analogiam⟨ significare aperte dico. Rarissime vero occurrit vocabulum ⟩canon⟨, quod nisi apud Charisium I p. 58, 1 [2] et p. 182,9 non inveni et duobus locis Marii Victorini, ubi plus quam semel adhibetur (VI p. 49, 16, 18, 20; p. 106, 21, 27, 34, 35; accusativus Graecus ⟩canonas⟨ exstat

---

[1]) cf. Georges, Lexicon s. v. ⟩regula⟨. — Apud eos vero grammaticos, de quibus nos agimus, cum saepe pluralis huius vocis inveniatur, mentio fiat tituli quarti decimi capitis l. I artis Charisii, ubi praeter opinionem singularis occurrit: ⟩de nominativis ad regulam redactis⟨.

[2]) „secundum superius catholicum [canonem]" scribit Keil; „sec. superiorem catholicum canonem" coniecit Lindemann; equidem ut Putschii lectionem servem „sec. superioris catholici canonem", simili loco commoveor, qui est p. 58,8 „salva observatione ⟩superioris catholici⟨."

ibid. p, 106, 28, 30; p. 107, 6). — Adiectiva et adverbia eiusdem generis sunt haec: canonicus [1]), canonice (ap. Roman. — Charis. I p. 232, 7) [2]), regularis [3]) regulariter regulatim [4]). Eandem fere significationem atque ⟩regulae⟨ in vocabulo ⟩norma⟨, quod haud crebro offertur, inesse puto [5]). Latius quam regulam vocabulum ⟩ratio⟨ spectare existimo, quam iam a Varrone X § 37 ad analogiam relatam esse vidimus (⟩ratio pro portione⟨); idem grammaticus initio eiusdem libri (X § 2) Graecum verbum *ὁ λόγος* Latine per ⟩rationem⟨ reddit [6]), Servius vero IV p. 435,15 analogiam ⟩rationem declinationis⟨ et Probus (Inst. art. IV p. 47,23) ⟩rationem rectam⟨ esse dicunt; in prooemio capitis XV l. I artis Charisii ⟩ratio⟨ tribus locis (p. 51,7, 10, 17.) loco analogiae adhibetur (cf. p. 50,19 sq). Optime autem hanc vim rationis interpretatur Cledonius qui V p. 47,16 sq.: „debemus" inquit „potius suavitati quam rationi obsequi, id est

---

[1]) cf. Comment. Sedul. Tur. (An Helv.) p. 8,25: „hoc enim totum canonicum, hoc totum regulare proprium est secundae coniugationis".

[2]) Hey in Thesauro Linguae Latinae s. v. „canonice" hunc locum falso Palaemoni assignavit.

[3]) cf. Palaemon V 533,9 „legitima et regularia nomina"; Cled. 33,17 „Romana verba et regularia".

[4]) Cum adverbium ⟩regulariter⟨ (cf. C Gl L II 338,32 „regulariter *κανονικῶς*") saepius occurrat, ⟩regulatim⟨ nisi apud Diomedem I p. 492,16 non inveniri videtur.

[5]) cf. Macrob. V 640,30: „sub eiusdem regulae norma' Diomed. I p. 307,17: „pauca admodum normae suae dissentiunt"; eadem fere elocutio exstat apud Charisium I p. 50,19: „paucis admodum partibus orationis normae suae dissentientibus".

[6]) cf. Ribbach, l. l. p. 37: „Quin ratio et canon unam eandemque vim habere dicebantur: *ἔστι λόγος καὶ ὁ κανών, ὡς ὅταν εἴπωμεν εἰπέ μοι τὸν λόγον τοῦ Αἴας Αἴαντος, τουτέστι τὸν κανόνα* (Anecd. Oxon. Cramer IV p. 328,13)". — Sed conferas etiam Schol. in Dionys. Thrac., ed. Hilgard 1901 p. 353,26 sqq., unde quam varias res vocabulo ⟩*λόγος*⟨ grammatici Graeci significaverint cognosces.

euphoniae potius quam analogiae." Itaque non miramur rationem haud paucis locis anomaliae contrario nomine opponi[1]), e quibus exempli causa nonnullos afferam:

ratio — auctoritas:

Charis. I 54,9; 54,31 sq; 55,14 sqq.; 88,10; 117,7 (Roman. de analog.); Dosith. VII 411,27 sq.; Prob. Cath. IV 8,5; Consent. V 348,11; Sacerd. VI 472,25; Explan. in Donat. IV 498,1.; Prisc. II 141,16; 492,25; Frg. Bob. V 562,39 sq. (auctoritas consuetudo euphonia — ratio) al.

ratio — euphonia:

Dosith. VII 411,25 al.

ratio — usus (consuetudo):

Donatian. frg. VI 275,12 („Loquendi facultatem usus invenit, ratio comprobavit.") — Charis. I 62,9; 73,21; 79,2; 89,24; 122,4 (Roman.); Caper VII 109,7; 110,48; Prisc. II 371,18; Palaem. V 534,7,9.

ratio — vetustas:

Caper VII 106,5; Roman. — Charis. I 118,15 sq.

Similiter adhibentur adiectivum ⟩rationabilis⟨ et adverbium ⟩rationabiliter⟨ (cf. Prisc. II 66,8; 208,19; 232,8; 178,12 al.).

Addendae sunt aliae quaedam voculae quae interdum, prout res postulat, pro ⟩analogia⟨ substituuntur, velut ⟩forma[2]), formula[3]), lex[4]),

---

[1]) Quamquam Pompeius V 193,12 sqq. etiam anomaliam ex ratione descendisse docet.

[2]) cf. glossa Cledonii V p. 38,16: „extra hanc formam — extra hanc regulam"; Dosith. VII 411,21: „quae non servant ⟩formam⟨, sed confundunt ⟩rationem⟨;" Consent. V 378,15.

[3]) cf. Phocas V 411,32; 413,24.

[4]) cf. Charis. 183,27.

legitimus[1]), observatio[2])⟨ al.: unum Graecum: ⟩catholicum⟨[3]).

Mirum vero est etiam ⟩artem⟨, quippe qua omnes regulae tam analogiae quam anomaliae comprehendantur[4]), haud raro verbi ⟩analogia⟨ vice fungi. Rationis fundamentum artem esse docet Augustinus V p. 494,4 sqq.: „Latinitas" inquit „. . . . constat modis tribus, id est ratione auctoritate consuetudine; ⟩ratione secundum artem[5])⟨" ; quin etiam apud Pompeium V p. 232,3 sq. (cf. 263,19 sqq.) haec de Latinitate doctrina exstat: „novimus enim sermonem Latinum his rebus contineri, usu arte auctoritate", ubi, cum usus et auctoritas ad anomaliam pertineant, ⟩artem⟨ analogiam significare necesse est. Itaque etiam singulis locis anomaliae opponitur, velut apud Servium IV 417,6 sqq.; 442,34; in libro „De ultimis syllabis" IV 222,29; ap. Eutych. V 486,27 sq.; Cledon. V 72,36 sq.; al. — Hac occasione oblata non praeteream vocabulum ⟩veritas⟨, quod iam a Varrone (IX § 12) pro analogia substitutum idem videtur significare in

---

[1]) cf. Cledon. V 64,17: „nam ista adverbia ideo in o exeunt, quia ⟩anomala⟨ sunt in conparatione, illa vero ideo in e, quia conparationes ⟩legitimas⟨ servant;" Palaemon V 533,9: „legitimis et regularibus nominibus"

[2]) cf. Charis. I 18,8; „Ordines omnium nominum, qui quidem ⟩ratione et observatione⟨ inveniuntur, numero sunt quattuor;" cf. Quintil. I 6,16: „itaque non ratione nititur analogia sed exemplo, nec lex est loquendi, sed observatio." — ⟩Exemplum⟨ cum similitudine confertur in Commento Einsidl. (An. Helv. p. 284,7): „exemplum historia, similitudo re adprobatur."

[3]) Vocabulum ⟩catholicus-a-um⟨ hisce locis, quantum vidi, apud grammaticos exstat: Charis I 51,19; 58,28; 110,12; 148,14 Diomed. I 303,30; 492,16; 306,6, 21; in titulo libri Probi „Catholica", praeterea ibid. IV 3,2; 33,8; Instit. art. IV 164,13; 180,31; Sacerd. VI 470,21; Mar. Victorin. VI 110,16; Vel. Long. VII 69,15; 78,6; Palaem. V 542,28 — καθολικῶς ap. Charis. I 182,1.

[4]) cf. Prob. Inst. art. p. 47,15 sqq.: „De arte".

[5]) cf. Audax VII p. 322,22 sqq., Maxim. Victor. VI 189,4.

versibus Terentiani Mauri (Gr. L. VI) p. 346, v. 714: „Usus—ut solet—reliquit veritatis regulam" et v. 739: „Non videntur obtinere veritatis regulam".

Restat, ut verbum ›debere‹ commemorem, quo interdum grammatici legentes ad analogiam vocant velut Pompeius V p. 165,34: „idcirco, quoniam recesserunt a ratione latinitatis, anomala sunt, id est inaequalia sunt. ›debueramus‹ dicere his duis, quoniam duorum dicimus;" p. 245,3: „Cicero dicit . . . . inhumaniter; inhumane ›debemus‹ dicere" al.

Iamiam liceat mihi appendicula de elocutionibus quae pertinent ad vocabula ›analogia‹ et ›proportio‹, quippe quae sint in hac disciplina maxmi momenti, accurate disserere, ita ut imprimis eos locos respiciam, quibus exempla analogiae insunt, quoniam de definitionibus in altera parte fusius dicemus.

1. Apud illos quos supra (p. 7) enumeravi grammaticos uno loco excepto [1]) tantum singularis numerus vocis ›analogia‹ occurrit, quod ideo commemoro, cum apud Varronem interdum etiam pluralis numerus inveniatur (VIII § 23, § 35, § 41, al.).

2. Nonnunquam ›analogia‹ substantivis quibusdam subiecta per ambitum enuntiatur aut adiectivis et substantivorum quorundam genetivis additis certius circumscribitur:

a) exemplum analogiae, Diom. I p. 386,11. ratio analogiae, Prob. De nom. exc. IV 212,31. Pompei. V 197,31. Prisc. II 310,18; 561,16. Eutych. V 448,19. regulae analogiae, Eutych. V 465,14.

b) Graeca analogia, Charis. I 53,28; 60,1. Latina analogia, Prisc. II 301,15.

Sua recta analogia, Char. I 113,24 = Exc. Bob. I 556,18.

---

[1]) Pomp. V 108,9: „in libro ›analogiarum‹ Caesar hoc dicit".

Graecorum analogia, Prisc. III 408, 6.
analogia nominativi, Prisc. II 281, 3.
" declinationis, Prisc. II 166, 8.
" primae declinationis, Prisc. II 357,10.
" quintae declinationis, De ult. syllab. IV 225,35.
" primae personae, Macrob. V 629,12.
" tertiae coniugationis, Prisc. II 496, 7.
" in ›er‹ terminantium, Prisc. II 97, 3.
" in ›do‹ desinentium, Prisc. II 521,17.
" in ›ius‹ terminantium, Prisc. III 10,11.
" in ›vi‹ terminantium, Prisc.. II 537,22

Praeterea notanda sunt mira illa verba, quae exstant in Probi Inst. art. IV 47,26: „analogia recta declinationis disciplina" et ib. p. 48,6, 10, 13, 15, 18, 22 „analogiae recta rationis disciplina."

3. Verba ad ›analogiam‹ accedunt haec: analogia uti, Diom. I 378,14; a—m requirere Cons. V 363,26; a—m afferre, Cons. 363,31; ad a—m pertinere Char. I 183, 8; Prob. Inst. art. IV 48,27; in a—m venire Cons. V 364, 1; in a—m cadere Cons. V 364, 8; analogiam sequi, Diom. I 375,18; Pomp. V 197,22; Prisc. II 511, 4; III 408, 7; analogiae respondere, Diom. I. 384,17; a—ae parere, Diom. I 371,23, 386,10; a—m servare, Varro—Chariss. I. 106, 2; Macrob. V 629,12; Serg. exposit. (An. Helv. 147,10); Prisc. II 511,2; observare, Diom. I 384,16; — ab analogia recedere, Char. I 57,5; discrepare, Cledon. V. 47, 6; 52, 1; analogia carere, Eutych. V 465,12; a—m corrumpere, Diomed. I 384,21; neglegere, Varro—Charis. I 106,3; dissolvere Prob. De nom. exc. 209, 7. — analogia stat, Pomp. V 197,30; exstat, Macrob. V 654,13; deficit, Eutych. V 448,19; emanat ex, Palaem. V 541,38; — analogia confert, Consent. V 355,27; discutit, Cons. 363,29; dirigit, Cons. 363,24; [regit Charis. I 1, 7.]; adserit,

Charis. 51,16[1]); exigit, Prisc. II 166, 8; 264,14; Diom. I 377,22; cogit, Prisc. II 43,16.

4. Praepositiones, quas vocabulum ⟩analogia⟨ sequitur, sunt hae:

contra, [Prob. Inst. art. IV 48,15, 18, 23]; Ars Anon. Bern. (An. Helv.) p. 122,11; extra, Plinius—Romanus--Charisius I p. 138,18; per, Pomp. V 166,18[2]); secundum, Charis. I 113,24; Diom. 387, 4; Scaurus VII 24,21; 28, 3; [Prob. Inst. art. IV 48,6, 10, 13.] Albin. Magist. VII 299,25; Ars Anon. Bern. 124, 7; saepissime (53ies) Priscianus hac praepositione utitur: II 67,17; 95,15; 97, 3; 99,15; 208, 1; 224, 1; 233, 4; 248,18; 280,16; 281, 3; 298, 6; 301,15; 305, 4; 310, 9; 357,10; 367,22; 371, 7; 372, 2; 372,14; 400,20; 459, 6; 473,13; 488, 8; 495,21; 496, 7; 500,17; 502, 2; 505,21; 511,11; 513, 2; 521,17; 533,18; 537,22; 543,18; 558,17; 558,20; 587, 4; III 2,28; 10,11; 76,26; 77,13; 239, 6; 450,12; 456,34; 466,36; 482, 4; 482,14; 485,28; 488,33; 498,19; 499,16; 505, 2; 507,17. Accedunt pauca adverbia loco praepositionum posita: „conpetenter analogiae," Diom. I 349,33; „non inconpetenter analogiae", Diomed. I 386,27[3]); et unum adiectivum, Diom. I p. 369,16: „. . . . quod analogiae ⟩propius⟨ est." —— Adiectiva eiusdem generis sunt ⟩analogus⟨ (ap. Prisc. II 127, 2; cf. Ars Anon. Bern. 113,11) et ⟩analogicus⟨ [4]) (ap. Prob., Inst. art. IV124,19.

---

[1]) „non potest ab analogia adseri"; codex post ⟩ad⟨ syllabam deletus est; ⟩adseri⟨ supplevit Keil.

[2]) Haec verba ⟩per analogiam⟨, quae exstant apud Charisium I 51,17, delenda esse recte animadvertit Boelte, die Quellen von Charisius I 15 u 17, Fleckeis. Annal. 1888, p. 439, n. 91.

[3]) Paucis versibus ante p. 386,23 legimus haec: „et id verbum positionem quidem habet conpetentem analogiae", ubi unus cod. Monac. praebet „conpetenter". Primam lectionem praeferendam esse explicare vix opus est.

[4]) Apud Romanum (Charis. I 141,24) Caesaris opus ⟩analogica⟨ inscribitur („Caesar in analogicis"); item apud Gellium l. IV 16,9 et ap. Pompeium V 144,19.

„secundum analogciam disciplinam"); adverbium ⟩analogice⟨ exstat in Probi Inst. art. IV 88,24 („analogice, non anomale declinantur"). — — Eodem modo disponam elocutiones ad voculam ⟩proportio⟨ pertinentes;

1. Pluralis numerus non offertur.
2. a) regula proportionis, Macrob. V 638, 3. observatio proportionis, Macrob. 652,11.
   b) Latina proportio, Prisc. II 290, 1. recta proportio, Prisc. II 510,14. proportio aliorum verborum, Prisc. II 457, 5. proportio secundae coniugationis, Pr. II 527,10. proportio tertiae declinationis Pr. III 9, 6.
3. cadere sub proportionem, Macrob. 638, 3; 652,11; proportio vult, Prisc. II 290, 1; exigit, Prisc. II 502, 4; potestatem facit dicendi, Prisc. II 371,18.
4. secundum proportionem, Prisc. II 457, 5; 487,15; 510,14; 523,11; 527,10; 543, 2; III 9, 6.

II.

§. 1.

Definitur analogia apud grammaticos Latinos his locis:

1. In Donatiani frg. VI. p. 275,16—276, 8; cf. Romanus ⟩De analogia⟨, Charis. I p. 116,30—117, 5 [1]).
2. ap. Charis. p. 51,3–5=Diomed. (h. e. Varro) p. 439,20–22 (Varro, ed. Goetz et Schoell, frg. 115).
3. Diomed. p. 456,4–6.

---

[1]) Donatiani quod vocatur fragmentum ex codice quodam operis Charisiani, qui integrior esset quam Neapolitanus, verbis leviter immutatis excerptum esse dilucide ostendit J. Tolkiehn, BphW. 1909; p. 1484—1488.

4. Donat. IV p. 379,$_{14}$ sq.
5. Serv. IV p. 435,$_{15-20}$.
6. Pompei. V 197,$_{22}$—198,$_{2}$.
7. Cledon. V p. 47,$_{13-15}$ (p. 48,$_{6-9}$).
8. Consent. V p. 353, v. $_{19}$ sq. et v. $_{25-27}$.
9. Prob., Inst. art. IV p. 47,$_{23-27}$ [48,$_{25-27}$].

Quae omnia quatenus a Graecis petita sint sicut vocabula analogiae, non est quod fusius explicemus. Quamquam illos grammaticos ne Varronis quidem ac Caesaris [1]) qui ab iis laudentur libros, nedum Graecorum opera ipsos inspexisse existimaverim. Ceterum exstant expressa doctrinae Graecorum vestigia in Donatiani fragmento, a quo uberrimo praesertim illorum locorum exordiar. Atque ibi cum alia tum haec scripta invenimus: „Analogiam sic Graeci definierunt, *ἀναλογία ἐστὶ συμπλοκὴ λόγων ἀκολούθων*, id est conexus orationum consequentium“ (p. 275,$_{16-17}$). Primum igitur consequentia vel similitudo, proprium illud insigne analogiae et peculiare notatur. Hanc vero generalem esse ait analogiam, cuius duas esse species, quarum altera in rebus, altera in rationibus perspiciatur (1 l. v. 18 sq.) [2]). Quid autem sibi velit obscurius illud verbum ⟩rationes⟨, ex iis quae deinceps sequuntur apparet (275,$_{19}$—276,$_{1}$): „hanc“ inquit „analogiam Graeci, quae spectatur in ⟩dictionibus⟨, sic definierunt *ἀναλογία ἐστὶν συμπλοκὴ λόγων ἀκολούθων ἐν λέξει*, id est conexus orationis in dictione.“ Simili modo unus Consentius generalem analogiam et specialem discernit, cum p. 353,$_{19}$ sq. haec dicat: „analogia est quam nos proportionem dicimus. ⟩haec⟨, quae ad grammaticam pertinet eqs.“)

---

[1]) Caesaris nomen legitur apud Pompeium V p. 197,$_{31}$ sq., de quo loco pòstea dicemus.

[2]) Suo iure Tolkiehn l. l. 1487 errorem refellit Boeltii, qui l. l. p. 432 sq. Donatiani fragmenti sententiam a Romani capitis prooemio eo loco discrepare voluerit.

Reliquae grammaticorum definitiones ad eam tantum analogiam ⟩quae spectatur in rationibus⟨ pertinent, quae nobis de grammaticis rebus agentibus iam sola erit respicienda.

Primo loco ponantur verba Varronis (vid. ind. locor. 2): „Analogia sermonis a natura proditi ordinatio est [1]) neque aliter barbaram linguam ab erudita quam argentum a plumbo dissociat.“ Quid autem sit ⟩sermo ille a natura proditus⟨[2]) optime apparet ex his verbis Varronianis, quae exstant apud Charisium qui p. 106,$_{15}$ sqq.: „Albani“ inquit „dicuntur ab Alba, Albenses autem ab Alba Fucente [3]) cuius rei causam Varro ait esse, quod

---

[1]) Apud Diomedem insertum est ⟩secundum technicos⟨; cf. Maxim. Victorin. VI p. 189,$_{4}$: „Ratione quatenus (constat Latinitas)? Secundum technicos, id est artium traditores“. Commemorandum esse puto Maximi Victorini Latinitatis definitionem (VI p. 189,$_{1-7}$) (cf. Audax VII 322,$_{21}$ sqq. et Augustin. V 494,$_{3}$ sqq.), quamvis sit tripertita, totam fere componi et ex iis sententiis, quae apud Diomedem, qui quadripertitam profert definitionem, exstant, desunt apud Charisium, et ex iis, in quibus ille discrepat ab huius lectione (cf. Diom. 439,$_{15}$ = Victor. 189,$_{1}$; Diom. v. 21 = Victor. v. 4; Diom. v. 28 = Victor. v. 5; Diom. 24 sq. = Victor. 6 sq.). Itaque Diomedem hoc loco duos fontes, Charisium et alterum cum Maximo Victorino congruentem, confudisse pro certo habeo.

[2]) Elocutio ⟩sermo a natura proditus⟨ etiam altero loco apud Diomedem occurrit p. 334,$_{30}$ in capite „de numero“: „is (dualis) namque, sicut a primordio adserit (sic codd.) sermonis a natura proditi, in obscuro habitus ignorabatur et diutius ... latebat“; sed inde quicquam certi colligi vix potest. Nam ea verba corrupta esse iam Putschius cognoverat, qui pro ⟩adserit⟨ scripsit ⟩adseritur⟨, quod Keilius quoque recepit. Quae tamen coniectura num emendatio sit cum valde dubito, tum intellegere nequeo quid sibi velint illa verba quae exstant l. l. v. 35: „adeo per huius modi omnes usus Graecorum linguae nesciae declarantur“, ubi aliqua excidisse coniecerim. Totam vero doctrinam huius capitis satis obscuram esse recte annotavit Jeep, Redeteile, p. 215, n. 1.

[3]) Idem exemplum exstat apud Varronem, de l. L. VIII 35.

analogia in ⟩naturalibus⟨ nominibus tantum servatur in voluntariis vero neglegitur; nam ut a Roma Romanus dicitur, a Nola Nolanus, ab Atella Atellanus, sic Albanus ab Alba dici debet. In illa autem Fucente Alba hoc non conservatur, quod alterius nomine cognominatur eqs." Verba ⟩voluntaria⟨ autem nihil aliud esse nisi derivativa cum per se patet, tum confirmatur loco quodam Pompei, qui V p. 143,$_{15}$ sqq. ⟩nominibus primae positionis vel principalibus, quae a natura facta sint⟨ (cf. p. 144,$_{5}$), velut ⟩mons fons schola⟨, derivativa (montanus fontanus) et deminutiva (monticulus fonticulus) opponit [1], et „de principalibus" inquit „et de diminutivis est ratio, de derivativis nulla ratio est." Cui sententiae fidem affert testimonio Plinii dicentis: „debes quidem acquiescere regulis, sed in derivativis sequere auctoritatem" [2]), atque cum aliis, tum eodem utitur exemplo atque Varro („Albanus Albensis") [3]. Hoc modo optime intellegitur etiam definitio Donati IV p. 379,$_{14}$: „analogia ex conlatione positivorum . . . cognoscitur" [4]), nam a Prisciano II p. 427,$_{14}$ verba ⟩positiva⟨ derivativis opponuntur. Sed etiam accuratius haec verba

1) Quae genera verborum Varro ipse in derivativis numeraverit, ignoramus; ceteri grammatici de hac re inter se dissentiunt (cf. Ieep, Redeteile p. 145 sqq.).

2) Quamquam etiam in derivativis explicandis grammaticos nonnunquam analogiam non aspernatos esse postea videbimus.

3) Caesarem de his nominibus derivandis aliter iudicasse tradit Pompeius V p. 144,$_{19}$: „Caesar quidem in libris analogicis voluit dicere discretionem: ait sic Caesar in libris analogiae: ⟩duae sunt Albae, alia ista, quam novimus in Aricia, et alia hic in Italia (cf. annot. critic. Keilii); volentes Romani discretionem facere istos Albanos dixerunt, illos Albenses⟨ . . . Plinius Secundus negat et ait sic: ⟩indifferenter haec inveniuntur⟨".

4) Inepte hanc definitionem commentatus est auctor commenti Einsidl. (An. Helv. p. 246,$_{8}$): „Duobus modis cognoscitur analogia, vel ex collatione positivorum, i. e. ex conferentia nominum, . . .".

⟩naturalia⟨ Varronis definiri posse credo Atque iterum nobis auxilio venit Pompeius V p. 202,$_{2}$, ubi praeter viginti et unum pronomina enumerata etiam alia inveniri posse concedit: „⟨Ea autem⟩ non sunt primigenia" inquit „quae Varro dicit, sed ⟩deductiva⟨. multum interest, utrum sit aliquid ⟩naturale⟨ an ⟩derivativum⟨". Itaque verba primigenia Varronis et naturalia eadem esse manifestum est.[1] De primigeniis vero in l. VI 36 sq. de l. L. Cosconium secutus fusius ita agit: „Primigenia" inquit „dicuntur verba ut lego scribo sto sedeo et cetera, quae non sunt ab aliquo verbo, sed suas habent radices. contra verba declinata sunt, quae ab aliquo oriuntur, ut ab lego legis legit";[2] verba igitur primigenia tamquam etyma sunt totius linguae. Etymologia vero fortasse altero loco Diomedis, quem commemoravimus, p. 456,$_{4}$ fundamentum analogiae esse dicitur: „proprietatis" inquit „est species regula sermonis, quam Graeci analogian vocant, quidam ex nostris proportionem"; saepius enim vocabulo ⟩proprietas⟨ etymologia significatur [3]), et in iis quae sequuntur (v. 10) ⟩exordium⟨ verbi respici videtur [4]), sed certam stabilemque senten-

1) Haec verba a Pompeio ⟩primae positionis⟨ et ⟩principalia⟨ vocata esse iam commemoravimus; conferas etiam Diom. I p. 323,$_{17}$: „sunt quaedam principalia, quae Graeci ⟩prototypa⟨ dicunt, ut mons fons schola villa hortus"; Charis. 154,$_{26}$: „Sunt quaedam etiam nomina, quae ⟩sicut nata⟨ efferuntur, ut mons schola"; Exc. Bob. 535,$_{16}$: „sunt quaedam ⟩primae positionis⟨, ut Peleus mons fons"; Dosith. VII p. 395,$_{5}$: „sunt quaedam primae positionis, ut mons fons Peleus Aeacus". Unoquoque fere loco haec verba alio nomine significantur, quamquam omnes ex uno eodemque fonte fluxerunt, e Cominiano (cf. Tolkiehn, Cominianus p. 141, qui imprimis de diversitate exemplorum disserit).

2) cf. de hac re Steinthal I^{2} p. 346.

3) cf. Lersch, l. l. III p. 152; hoc loco autem ⟩proprietatem⟨ aliter vult intellegi, quid autem hoc verbo significari putet, non addidit.

4) In codicibus hoc loco aliqua excidisse Keilio assentior

tiam de hac re dicere non ausim [1]. Neque vero abest suspicio, quin Diomedes ipse definitionem, quam aliunde exscripsit, perperam interpretatus sit.

Fines autem huius specialis analogiae a plerisque grammaticis etiam artius circumscribuntur, velut pergit auctor Donatiani fragmenti p. 276, 1: „huic vero analogiae, quae est in verbis, illa quoque analogia subiecta est quae procedit per similium comparationem, quae sic definitur a quibusdam, ἀναλογία ἐστὶν συμπλοκὴ λόγων ἀκολούθων ἐν κλίσεσι μερῶν λέξεως, id est conexus orationum consequentium in declinationibus partium orationis.“ [2]) Ergo comparatione similium sermonem inconditum' sub certam rationem cum redigi videamus, meminimus illius definitionis quae exstat apud Diomedem p. 439,20 „analogia . . . ordinatio est ⟩secundum technicos⟨,“ nam grammatici similibus formis, quas quidem etiam homo artis inscius cogno-

[1]) Connexa sunt inter se etymologia et analogia apud Quintilianum, Jnst. orat. I 6,1: „sermo constat ratione vetustate auctoritate consuetudine. rationem praestat praecipue analogia, nonnunquam et etymologia“ (de Varronis et Quintiliani Latinitatis definitionibus cf. Boelte l. l. p. 633 sq. et Usener, Sitzber. d. bayr. Ak. ph.-hst. Cl. 1892 p. 624) et in Donatiani frg. VI p. 275,13: „loquendi facultatem usus invenit, ratio comprobavit. ratio digeritur in duas species, quarum alteram etymologiam, alteram analogiam Graeci dixerunt“. (Quae verba cum Quintiliani disciplina, quam modo posui, confert Tolkiehn BphW 1909 p. 1486). Mirum autem est idem, quod apud Varronem analogiae tribuatur, apud Quintilianum I 6,30 adscribi etymologiae: „nonnunquam etiam barbara ab emendatis conatur discernere“. Scaurus vero VII p. 12,5 sqq. scribendi rationem tribus regulis corrigi ait: ⟩historia, originatione, quam Graeci ἐτυμολογίαν appellant, proportione, quae Graece ἀναλογία dicitur⟨. In glossariis quoque quibusdam analogia cum etymologia componi videtur, ut CGIL IV 472,25: ⟩analogia — ratio aut o r i g o vel sapientia⟨ et V 4,16 = 47,11 :⟩ analogia — i n i t i u m vel rectitudo alicuius verbi⟨, sed ex his fragmentis e contextu orationis remotis prorsus nihil conici potest.

[2]) Haec pars desideratur ap. Romanum; cf. Tolkiehn l. l.

scere facile possit, collatis κλίσεις vel declinationes constituerunt.[1]) Analogiam vero non pertinere nisi ad declinationem cum Servius IV 435,15 („analogia dicitur ratio declinationis nominum inter se omni parte similium“) et Cledonius V p. 47,13 sq. („analogia autem est similium similis declinatio“)[2]) videntur existimare, tum plane ac dilucide dicit Probus, qui IV p. 47,23 „Analogia“ inquit „est ratio recta perseverans per integram declinationis disciplinam, ut puta hic Catilina, haec lupa, hoc scrinium et cetera talia“. Quod si idem postmodo ⟩rationem rectam⟨ et ⟩integram declinationem⟨ explicare studet, cum dicit: „quoniam haec nomina sic per omnes casus secundum sua genera in declinatione perseverant, sic uti est analogiae recta declinationis disciplina“, eum eodem revolvi per se patet.[3]) — Atque huic analogiae in declinationibus spectatae auctor fragmenti Donatiani primum quidem omnes partes orationis assignat, ex observationibus similitudinis autem quae sequuntur, ubi cum alia tum ⟩genus⟨ et ⟩casus⟨ commemorantur, eum maxime nomen respici velle apparet. Probus a nomine orsus p. 48,25 ita pergit dicere: „Sic iam et p e r c e t e r a s p a r t e s o r a t i o n i s analogia vel anomalia consideranda est“; Diomedes vero p. 384,15 aeque verba ac nomina ad analogiam refert: „Analogia“ inquit „apud nos, id est proportio, praetermissis Graecorum ambagibus tam in verbis quam in nominibus observatur“. Reliquae autem

[1]) Quomodo paulatim sermo Latinus ⟩loquendi licentiam servituti rationis addixerit⟨, optime exponit auctor prooemii capitis XV l. I artis Charisii p. 50,16—25; dolendum est, quod codex nonnullis locis corruptus est.

[2]) cf. Varro, de l. L. X 74 et Gell. II 25,2, de quibus locis iam supra p. 9 n. 3 dixi.

[3]) Similiter confuse idem grammaticus p. 48 speciebus anomaliae explicatis analogiam quasi anomaliae contrariam definit; ubi illae species anomaliae non sint, ibi analogiam inveniri contendit. (Haec quoque disciplina in declinationibus versatur).

definitiones (Cled. V 47,$_{13}$ sqq., Serv. IV 435,$_{15}$, Pomp. V 197,$_{25}$, cf. ib. 197,$_{21}$, Consent. V 353,$_{25}$) ad unom nomen pertinent, Donatus etiam IV p. 379,$_{14}$ („in his regulis“) analogiae definitionem tribus generibus nominum imputat, ⟩aptotis, tantum pluralibus, Graecis⟨, quam disciplinam ita commentatus est Cledonius V p. 48,$_{9}$ sqq.: „vel ex collatione debemus intellegere, ut similitudo collationis intellectum similium nominum possit tenere, ut si pluralia posita fuerint, a plurali requiras, si Graeca a Graecis, si aptota ab aptotis;“ cf. ibid. p. 48,$_{18}$.

§ 2.

Sed omnia fere illa praecepta qualiacumque sunt in similitudinis ratione posita sunt. Apud Donatum[1]) quidem et Consentium[2]) a generali similitudine nihil nisi deminutio, unde genus plerumque cognoscatur[3]),

[1]) IV p. 379,$_{14}$ „in his regulis analogia vel ex conlatione positivorum nominum vel ex deminutione cognoscitur“.

[2]) V p. 353,$_{25}$ „ergo analogia nominum in conlatione maxime parium, ut homo sermoque, et similitudine diminutivorum, quae ab his veniunt, consistit atque perspicitur“. — Eadem doctrina offertur in Quintiliani Jnstit. orat. I 6,$_{4}$ „. . . quod efficitur duplici via: comparatione similium in extremis maxime syllabis, propter quod ea quae sunt e singulis, negantur debere rationem, et deminutione eqs.“ Ea vero ⟩quae sunt e singulis⟨ nihil aliud esse quam ⟩monosyllaba⟨, de quibus Plinius apud Romanum — Charis. p. 138,$_{18}$ et Consentius V p. 363,$_{21}$ eadem proferunt, manifestum est. (Plinium et Consentium de hac re inter se consentire iam recte cognovit Goetting in laudabili dissertatione „de Flavio Capro Consentii fonte“, Regimonti 1899, p. 59; fugit autem eum Quintiliani sententia).

[3]) cf. Cled. V p. 48,$_{12}$: „ex diminutione autem poteris omne genus colligere“ et Quintil. I 6,$_{6}$: „deminutio genus modo detegit“. Quam rationem Varronis esse testatur Pompeius V p. 164,$_{13}$: „Ait Plinius Secundus secutus Varronem quando dubitamus principale genus, redeamus ad diminutionem, et ex diminutivo cognoscimus principale genus⟨“ (G. et Sch. frg. 10). Conferas etiam Charis. p. 37,$_{13}$ „Hypocorismata semper generibus suis, unde oriuntur, consonant . . . ut Varro dicit“. (G. et Sch. frg. 11). Alios similes locos Goetz et Schoell ad fragmenta laudata annotaverunt.

secernitur; alii autem grammatici similitudinem, quo facilius reperiatur, certis observationibus determinant.

Velut sex observationes [1]) in Donatiani fragmento deprehenduntur VI p. 276,$_{5-8}$, ut sint similia verborum de quibus quaeratur ⟩genus casus exitus numerus syllabarum sonus⟨; praeterea monemur, ⟩ne unquam simplicia cum compositis comparemus⟨.[2]) Quas regulas Nauckius Aristophonis Byzantii fragm. Halle 1848, p. 270 sq. tam bene interpretatus est (cf. etiam Steinthal II² p. 152, Ribbach l. l. p. 3), ut quicquam addere opus non sit. — Servius IV p. 435,$_{16}$ sqq. octo observationes enumerat: „nomina“ inquit „similia sunt omni parte, si octo rebus sint similia, id est sex illis quae accidunt nomini, qualitate conparatione [3]) genere numero figura casu, deinde exitu syllabarum, deinde consonantium ratione paenultimarum.“ Cum hoc Pompeius in septem consentit, octavo autem loco ⟩paenultimarum rationem⟨ collocat, quam ita dividit V p. 197,$_{27}$: „paenultimarum

[1]) Quinque Aristophani assignantur, ultima Aristarcho; comprobaverim quidem sententiam Steinthalii hanc definitionem Aristophanis esse negantis II² p 151 sq. not.; contra dicit Ribbach p. 2. — M. Ter. Varro quattuor collocat observationes (genus species casus exitus); hanc disciplinam interpretatus est Steinthal II² p. 149 et p. 152.

[2]) cf. Varro, de l. L. VIII § 61: „quoniam est vocabulorum genus quod appellant compositicium et negant conferri id oportere cum simplicibus . .“. — Ab aliis grammaticis hoc speciale accidens, i. e. ut aut simplicia sint nomina aut composita, ⟩figura⟨ vocatur; cf. Jeep, l. l. p. 131 sq.

[3]) „Comparationem“ hoc loco commemorari non miramur, quoniam ab antiquis adiectiva et substantiva plerumque non discernuntur (cf. Jeep, p. 152: „Da eine exakte Scheidung zwischen Snbstantiven und Adjektiven nicht geläufig war . .“); sed „plerumque“ dico, nam J. Tolkiehn (Cominianus, Lpz. 1910, p. 162, n. 1) iam Scaurum hanc differentiam cognovisse comprobat. Quin etiam Varronem concedendum est suspicatum esse adiectiva a substantivis discrepare; cf. de l. L. VIII § 12, de quo loco dilucide egit Steinthal II² p. 219 not.

ratio ut sit similis, ut aut vocales sint aut consonantes: deinde ut tempora sint similia; si illa brevis est, et illa brevis sit."[1]) Quae cum ita sint, Keilio assentiri non possum, qui V p. 197 in annot. crit. ad v. 23: „fortasse" inquit „fit n o v e m modis, nisi potius illud neglegentiae tribuendum est grammatici, qui octo modos ex Servii commentario recepit, nonum aut ipse addidit aut aliunde petivit."[2]) Nam Pompeium non ⟩consonantes⟨, sed ⟩syllabas⟨ paenultimas spectavisse ex ipsius verbis, quae attulimus, luce clarius esse persuasum habeo. — Item Cledonius V p. 47,14 sex res observat ⟩quae accidunt parti orationis, hoc est nomini⟨,[3]) praeterea addit ⟩duas potestates syllabarum⟨, quae quid sibi velint, ego intellegere non possum (fortasse de mensura paenultimarum cogitare licet); paulo post autem p. 48,6 sqq. alteram observationum rationem exhibet, quam sententiam in codice valde corruptam Bertsch in editione Cledonii[4]) sic restituit: „nam ita debes colligere: pares si sint syllabae et simile genus fuerit et sint appellativa pari syllaba terminata et unum genus ex se faciant [5]), id est similes sunt nominativi, ita pares et genetivi fiunt ut doctus docti factus facti et similia"; ⟩lupus⟨ enim et ⟩lepus⟨ hac de causa in

---

1) Totam definitionem Pompeius Caesaris nomine ornat (p. 197,33 sq.); quod fide non dignum esse recte cognovit Schlitte, „De C. Julio Caesare grammatico", Halle 1856, p. 22.

2) Similiter iudicat Schlitte, l. l. p. 21.

3) Itaque Cledonius nomen quasi partem orationis κατ' ἐξοχὴν videtur significare.

4) Cledonii Ars grammatica, scrips. Henricus Bertsch diss. Heidelberg. 1884, p. 37.

5) Servius et Pompeius, cum simili exemplo utantur (i. e. lupus-lepus; cf. etiam Quintilian. I 6,12), hanc observationem in definitionibus omittunt; addit tamen Pompeius V p. 198,7: „nam hoc in genere sequimur, et genus et m o b i l i t a t e m, doctus docta doctum, aptus apta aptum".

genitivo dissimilia esse colligit grammaticus p. 48,5, quia, quamvis in ceteris consentiant, lupus faciat lupa, lepus non lepa[1]).

Omnes denique similitudinis observationes sub uno adspectu ponam:

I	genus casus figura . .	Donatian. frg. Cledon. (utroque loco). Serv. Pompei.
II	exitus	Donatian. frg. Cled. 48, 6. Serv. Pompei.
III	Sex accidentia nominis	Cled. p. 47. Serv. Pompei.
IV	numerus syllabarum .	Donatian. frg. Cled. p. 48, 6.
V	sonus	Donatian. frg.
ratio paenultimar. consonant.		Serv.
„ „ syllabar. .		Pompei.
duae potestates syllabar. . .		Cled. p. 47.
mobilitas		Cled. p. 48.

Servius extremae definitioni p. 435,19 haec addidit: „atque si una res de istis octo similibus desierit, dicimus nomen nulla ratione similiter declinari."[2])

---

1) Uberrima definitio exstat apud Herodianum, ed. A. Lentz, II p. 634,6 (= Anecd. Oxoniens., ed. Cramer IV p. 333): „Τὸ ὅμοιον ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἢ γένει ἢ ἀριθμῷ ἢ τόνῳ ἢ πτώσει ἢ καταλήξει ἐν παρατελευτῷ συλλαβῇ· ἐν χρόνῳ, ἐν ποσότητι συλλαβῆς, πολλάκις δὲ καὶ ἐν ἐπιπλοκῇ συμφώνου." cf. Steinthal II² p. 152.

2) cf. Pompei. V p. 197,29 „de istis omnibus rebus si unum minus fuerit, iam non stat analogia eqs." et p. 198,20 „ceterum si una res defuerit, scire debemus, quoniam non stat ratio declinationis".

Quamquam grammaticos non semper tam severe similitudinem servavisse mox apparebit; praeterea autem non solum integritatem declinationis et analogiam grammaticam, ut ita dicam, verum etiam significationis similitudinem in formis constituendis nonnunquam eos respexisse notandum est.

Quando autem analogia adhibenda sit, docet Consentius V p. 363,25: „si quando aliquid controversiae accidit, quod nos in diversum aliqua ratione trahere conetur, analogiam primo requiremus . . .“ [1]) Itaque plurimis locis, quibus analogia intercedit, etiamsi una vocula notetur, olim duplicem vel ancipitem formam fuisse colligere licebit; quo modo facile fieri poterit, ut de quibusdam formis praesertim sermonis vulgaris aliquid certius eruamus; sed ad hanc partem tractandam tum demum aggrediar, cum anomaliae quoque disciplinam absolvero.

III

Jam ad exempla analogiae me convertam quae apud grammaticos inveniuntur, ac primum quidem de nominibus substantivis, deinde de adiectivis pronominibus numeralibus, tum de adverbiis, postremo de verbis et participiis disseram, quoniam alia vocabula ad analogiam non referuntur. — Sed siquis uberrime de anologia disputaturus est animadvertere ei opus erit, qua ratione artis scriptores ingentem multitudinem verborum ordinaverint, ad quam normam declinationes formaverint et alias ab aliis seiunxerint. Dicendum ei erit de universis praeceptis grammaticorum, quibus similitudinem et declinationem formarum discipulis

---

1) cf. Quintil. I 6,4: „eius (analogiae) haec vis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat et incerta certis probet.“

patefacere atque illustrare studeant. Quorum e numero ut unum exemplum afferam, locum exscribam e Probi Institutis artium, qui IV p. 75,11 de nominibus in a litteram desinentibus haec profert; „Quaecumque“ inquit „nomina generis masculini ablativo casu numeri singularis a littera post consonantem definiuntur, ut puta ab hoc Catilina, hic Catilina, haec ad hoc exemplum declinantur eqs.“ Sane hic quoque analogiam subesse quis est quin neget? Sed qui haec catholica, ut vocabulo utar apud grammaticos usitato, accurate respexerit, iamiam immensam fere atque infinitam materiam esse intelleget; nam ubicumque vocabula sub uno adspectu ponuntur, aut analogia est aut anomalia. Qua de causa eos qui de his rebus universis certiores fieri velint ad Jeepii praeclarum librum, quem iam saepius laudavimus, revocavisse satis habeo. Mihi quidem propositum est de illis locis disserere, ubi grammatici in singulis ac plerumque dubiis voculis discernendis ab analogia recte iudicandi adiumenta petiverint.

Antequam autem de nominum declinatione ipsa agam, quomodo ad **genus** enucleandum grammatici analogia usi sint explicandum esse censeo. — Quamquam in iis nominibus, quibus mares aut feminae significantur, nullam vim habet analogia, in ceteris vero plurimum valet loquentium arbitrium. Quod optime apparet ex loco Charisii, qui I p. 57,8 sqq., ubi de)cymae(genere agitur, „hoc“ inquit „nomen, cum sit naturae inconstantis, non potest ab analogia adseri.“ Itaque Probus (De nom. exc. IV. p. 212,21) in generibus discernendis analogiam prorsus neglegi vult; quaerit autem ibi, utrum)hic scrupulus an hoc scrupulum(dicatur, et Ciceronem ut optimum auctorem, qui dicat)hunc scrupulum(, sequi non dubitat, praesertim cum)in eiusmodi quaestiunculis nihil possit analogia(. Quae quamvis ita se habeant, tamen

norma quaedam inventa est,[1]) ut genera aut ex nominativo singularis aut ex casibus obliquis aut ex deminutione colligantur.[2]) — Ex nominativorum terminationibus saepius genera facile cognosci posse docet Pompeius V p. 161,$_{32}$: „Praeterea“ inquit „scire debemus quasdam regulas quasi solemnes esse generum. ecce ⟩a⟨ quasi solemnis est generis feminini, puta ⟩Musa casa⟨; ecce ipsa regula quasi dedicata est feminino generi, item ⟩us⟨ syllaba masculino generi quasi dedicata est, doctus clarus magnus eqs.“ Hanc rationem etiam Consentius V p. 349,$_{8}$ commendat ad urbium quarundam nominum obscurorum genera invenienda: „ergo“ inquit „vel ex auctoritate, siqua erit, vel ex conlatione similitudinum unius cuiusque urbis ⟩primum directum casum⟨ examinare debemus; quo invento et de ⟩genere⟨ ac numero certiores efficiemur eqs.“ Sed interdum una hac regula nixi grammatici ad certum iudicium pervenire non possunt; velut auctor Charisii p. 65,$_{6}$ tantum

[1]) Etiam Consentius V p. 347,$_{13}$ sqq. analogiam ad genera nominum definienda non sine ullo momento esse monet: ‚de his“ inquit „tantum nominibus, quae vocalibus terminantur, pauca dicemus. quo exemplo de ceteris, qui curiosus rem agitabit, quae genera efficiuntur inveniet; simulque in omnibus per unam analogiam apparebit diversitas regularum“.

[2]) Mirum est duorum nominum genus, quod ex arbitrio loquentium pendere videatur, non ex forma, sed ex re a grammaticis colligi, quippe qui ⟩ostream⟨ (cf. Cled. V 41,$_{24}$. Charis. I 57,$_{23}$. Expl. in Don. IV 493,$_{20}$. Caper VII 110,$_{17}$. Beda VII 282,$_{17}$. Servius ad Georg. I 207) et ⟩margaritam⟨ (Charis. I 57,$_{27}$) feminini generis esse doceant, si animalia significentur; sin ⟩testa⟨ aut ⟩calculus⟨ intellegatur, ostreum et margaritum neutri generis dicendum esse. Hoc praeceptum — fortasse etiam exempla — Varronis esse apparet ex loco apud Cledonium laudato V 41,$_{24}$ sqq. (G et Sch. frg. 9). — Apud Charisium p. 108,$_{4}$ secundum Graecam formam μαργαρίτης — ut ὁ χάρτης haec charta — femininum genus ⟩margarita⟨ ponitur. Hanc quoque rationem Varroni deberi ex aliis colligi potest, quae a Charisio p. 104,$_{8}$ sqq. traduntur. (G. et Sch. frg. 15).

ex nominativo vocis ⟩margo⟨ genus definire studet: quoniam autem alia nomina in ⟩go⟨ terminantia feminina, alia masculina sunt, ancipiti analogia genus in incerto manet.[1]) Itaque in Probi Inst. art. IV p. 124,$_{16}$ sqq., ubi de substantivi ⟩finis⟨ genere quaeritur, praeter nominativum singularis etiam numerus syllabarum [2]) ac significatio respiciuntur: „quaecumque nomina inanimalia Latina dumtaxat nominativo casu numeri singularis disyllaba esse reperiuntur et ⟩nis⟨ syllaba terminantur, haec secundum analogicam disciplinam masculini generis esse probantur.“ [3]) Haud scio an haec ⟩analogica disciplina⟨ redeat ad Verrium Flaccum, de quo similia traduntur apud Charisium p. 101,$_{4}$ (cf. Beda VII p. 266, $_{6}$): „Clunes . . . Verrius Flaccus masculino genere dici probat, quoniam ⟩nis⟨ syllaba terminata anima carentia nominativo singulari masculina sunt, ut panis cinis crinis et similia.“ [4])

[1]) „Margo feminino genere ut virgo imago Karthago et cetera quae ante o habent g; . . . . . inveniuntur tamen ex eadem forma masculina, uligo et farrago. quare apud auctores margo masculino quoque dicitur genere.“ cf. Prisc. II 145,$_{24}$ „margo quoque auctoritate poetica non solum feminini, sed etiam masculini generis invenitur.“

[2]) Numerum syllabarum ut gravioris momenti etiam Charisius exhibet p. 92,$_{29}$, qui „ceterum“ inquit „feminina omnia ⟩monosyllaba⟨ sunt excepto grege et rege . . .; calx igitur . . . feminini generis est.“

[3]) Priscianus vero II p. 141,$_{16}$ sq. hanc vocem cum supra laudata ⟩margo⟨ componit: „dubia autem sunt genera, quae nulla ratione cogente auctoritas veterum diverso genere protulit, ut ⟩hic finis et haec finis, cortex silex margo⟨“.

[4]) Ante Verrium iam Caesarem de generibus quaestiones instituisse ab auctore libri „De dubiis nominibus“ accepimus V p. 575,$_{11}$: „Crinis“ inquit „generis masculini, ut Caesar „de analogia“. Quod autem Keil in notis criticis addidit: „Caesaris auctoritas eo pertinere videtur, quod nomina Latine ⟩nis⟨ finita rem inanimalem significantia secundum analogicam rationem, ut ait Probus IV p. 124,$_{19}$, masculini generis esse probantur“, equidem nec facile probaverim nec prorsus reiecerim.

In Probi De nom. excerpt. IV p. 209,$_{31}$ alia causa accedit: quod finis)simplex(sit nomen; omittitur numerus syllabarum; ceterum exempla similia sunt quae apud Verrium scripta videmus. [1]) — Ex nominativi et genetivi terminatione et numero syllabarum apud Charisium I p. 45,$_{16}$ vocabuli)vulgus(genus perspicitur: „nullam autem" inquit „neutrale disyllabum)us(litteris terminatum genetivo in i ultima exit syllaba. unde vulgus masculini generis potius quam neutralis dicendum est." [2]) — Ablativo singularis quod sit vocabuli)dies(genus iudicatur: cf. Serv. IV 434,$_{13}$, Pompei. V 190,$_{23}$ sqq., Prob. De nom. exc. IV 210,$_{6}$. Satis erit Servii posuisse verba dicentis: „dies secundum regulam tantum feminini generis est: nullum enim nomen e producto ablativo terminatum alterius potest generis intellegi" (Prob. l. l. „ut ab hac re et ab hac spe, item ab hac die"); [3]) Cledonius autem V p. 46,$_{15}$ sqq. pluralis numeri ablativo et dativo nisus idem vocabulum in femininis numerat; utrumque enim casum aeque ac in)rebus(in bus syllabam exire ait; „regula autem" inquit „quintae declinationis feminini generis est, ut haec dies magis feminino genere

[1]) Prob. IV 209,$_{32}$: „. . . generis sunt masculini, ut [finis] crinis cinis panis amnis; quibus similis cum sit finis, generis erit masculini." Finis autem vocabulum cum hoc loco non quadrare per se pateat. a testu submoveatur necesse est. — Eadem fere exempla exstant etiam in Capri libro)De orthographia(VII p. 101,$_{19}$: „omnia nomina in)nis(finita masculina erunt, velut hic finis crinis cinis [canis] amnis.")Canis(, quod ego pro mendo habuerim, in)panis(corrigendum esse censeo. — Praeterea his locis addas Exc. Bob. 555,$_{25}$, Prisc. II 159,$_{27}$ sqq., Serv. in Verg. Aen. II 554.

[2]) cf. Prob. De nom. exc. IV 208,$_{3}$ sqq., Serv. in Verg. Aen. I 149; II 39.

[3]) Quod vero pergit Servius l. l. „Masculinum autem genus persuasit ratio adverbii — i. e. hodie", Pompeius hanc formam quasi exceptam annotat his verbis: „ceterum si non sit adverbii necessitas genus est femininum." Cf. lib. De dub. nomin. V 577,$_{23}$ sqq.

declinanda sit quam masculino." [1]) —)Salis(quoque genus obliquis casibus Probus patefieri vult (De nom. exc. IV 209,$_{6}$): „Sal" inquit „quidam putant generis esse neutri, ut mel fel. quod si ita est, in obliquis casibus analogia dissolvitur, non enim geminata l genetivo „huius sallis" facit quomodo „mellis fellis" . . . 15. flectitur ergo, ut masculino genere possit esse sicuti sol; sed genetivo casu solis producitur, salis corripitur". Quam ratiocinationem non satis esse consideratam quis est quin intellegat? Nam non genus ex declinatione, sed ex genere declinatio derivatur, cum grammaticus ipse suo arbitrio masculinum genus nomini imputet. — Plerumque autem ex casibus numeri pluralis, vel ex nominativo vel ex accusativo, genus eruitur, ut ait Caper)De orthogr.(VII p. 105,$_{5}$: „Cum de genere alicuius nominis ambigis, pluralem consule numerum: ut puta si quaeras hic pratus sit dicendum an hoc pratum, pluralis numerus cum faciat haec prata nec recipiat hi prati, manifestum est genus." Quod praeceptum in his fere nominibus definiendis observatur: antrum („De dub. nom." V 572,$_{9}$ „antrum generis neutri, quia pluraliter antra dicuntur"), bustum (ibid. p. 573,$_{1}$), collum (ibid. p. 573,$_{24}$) stadium (ibid. p. 589,$_{32}$ „stadium generis neutri et masculini, quia dicimus stadios et stadia"), vallum (ibid. p. 592,$_{24}$ „vallum castrorum generis neutri, quia)intervalla([2]) dicuntur"), viscus (ibid. p. 593,$_{4}$, „viscus de viscere generis neutri, quia viscera dicuntur, ut

[1]) Etiam alia analogiae ratione grammaticos adductos esse, ut)diem(feminini generis esse existimarent, postmodo videbimus.

[2]) Hoc loco igitur compositum auxilio vocatur; ap. Charis. vero p. 58,$_{10}$ compositi genus simplicis genere confirmatur: „Pervigilia neutrali genere plurali numero an pervigiliae feminino genere . . . dici debeant quaeritur. et dicendae sunt pervigiliae; nec hoc laboriosa ratione adprobatur; nam cum per se vigiliae dicantur, praepositione adiecta non naturam mutant".

Prudentius . . .“); iis vero nominibus tertiae declinationis, quae non sunt neutri generis, discernendi causa articulus, ut sermone grammaticorum utar, praeponitur, quoniam ex formis ipsis colligi non potest, utrum masculina sint an feminina: Prob. De nom. exc. IV p. 215,$_{13}$: „Apex generis est masculini, quoniam plurali numero hos, non has apices dicimus“; De dub. nomin. V 586,$_{9}$: „Paries generis masculini, quia dixerunt hunc parietem et hos parietes.“

Commodius subsidium generis nominum deprehendendi in deminutione esse positum iam antea (cf. p. 30, not. 3) accepimus, quod hisce locis adhibitum invenimus: ap. Charis. p. 67,$_{8}$ sqq. „nubecula--nubes, specula--spes“, [1]) Prob., De nom. exc. IV 211,$_{15}$ „urciolі—urcei“, Bedam VII p. 273,$_{1}$ „fornacula—fornax“, Cled. V 48,$_{13}$: „acula—acus“, Pompei. V p. 164,$_{15}$ sqq. „arbuscula—arbor, columella—columna, p. 198,$_{32}$ sqq. „tabella—tabula, virgula—virga“. — Sed cum haec quoque regula non semper certa sit, [2]) nonnunquam

[1]) „Sunt quaedam quae nominativo singulari et plurali casu similiter efferuntur per es productam, et sunt feminina ut diminutio quoque manifestat. dicimus enim nubes nubecula, spes specula, res recula“. Nescio an hoc loco praeter genus etiam mensura ultimae syllabae deminutione determinetur, praesertim cum conferam locum Prisciani qui II p 107,$_{4}$ „in es productam“ inquit „desinentia tertiae declinationis vel quintae abiecta s et assumpta ⟩cula⟨ faciunt diminutiva et ⟩servant e productam⟨, ut vulpes vulpecula, nubes nubecula eqs.“

[2]) cf. cum alia tum haec quae exstant apud Pompeium V p. 164,$_{18}$: ‚ait sic Donatus ⟩ista regula infirma est⟨. qua ratione? quoniam invenimus alia genera in principalitate et alia genera in diminutione. ut est pistrinum, fac inde dimunitivum, pistrilla eqs.“ — Charisius p. 61,$_{15}$ ⟩rete⟨ secundum deminutionem utriusque generis et masculini et neutri esse posse nos docet.— Mira illa verba, quae exstant in libro De dub. nomin V p. 572,$_{13}$: „Baculum et baculi, quia masculini generis est. nam quidam dixerunt bacilli et bacilla“ recte explicata esse censeo a Guilelmo Otto, qui in libro qui inscribitur „Grammatici incerti de generibus nominum . . . opusculum“, Gissae 1850, p. 25, not. 26 Le Clercium secutus similem locum comparat Capri (VII p. 108,$_{7}$).

auxilium petitur a primitivi nominis declinatione. Quod fit apud Charisium p. 92,$_{23}$: „Fornax feminino genere dici debet, quod per deminutionem fornacula, non fornaculus facit, et ⟩quia omnia nomina inanimalia x littera terminata, genetivum si productum habeant⟨, generis sunt feminini, ut lodix lodicis, radix radicis.“ Similis ratio apud eundem grammaticum exstat p. 110,$_{8}$: „dies communis generis est. qui masculino genere dicendum putaverunt, has causas reddiderunt, quod dies festos auctores dixerunt, non festas . . . qui vero feminino, ⟩catholico⟨ utuntur, quod ⟩ablativo casu e non nisi producta finiatur, et quod deminutio eius diecula sit, non dieculus.⟨“ Eodem fere modo de diei genere disserit Probus in Inst. art. IV p. 89,$_{19}$ sqq.

Iam nominum substantivorum formas casuales ipsas perscrutaturi primum de nominativo numeri singularis, deinde de obliquis casibus agemus.

De nominativo numeri singularis.

Apud Cledonium V p. 44,$_{10}$ nominativus et vocativus recti casus appellantur, ⟩quia analogiam sequuntur⟨. Nescio quid sibi velit illa sententia; an ideo analogi dicuntur casus, quod ex similibus casibus obliquis similes nominativi oriuntur? In mentem mihi venit Varronis, qui de l. L. X § 51: „analogia“ inquit „fundamentum habet aut a voluntate hominum aut a natura verborum aut a re utraque. voluntatem dico impositionem vocabulorum, naturam declinationem vocabulorum, quo decurritur sine doctrina. qui impositionem sequetur, dicet, si simile in recto casu dolus et malus, fore in obliquo dolo et malo; qui naturam sequetur, si sit simile in obliquis Marco Quinto, fore ut sit Marcus Quintus.“ In natruali autem declinatione analogiam, in voluntaria anomaliam plerumque regnare Varro iudicavit (cf. VIII 23, X 15 al.). — Contrariam quidem causam Priscianus II 185,$_{12}$ (cf. 421,$_{26}$ sqq.)

videtur afferre, cur nominativus ⟩rectus⟨ appelletur: „rectus autem dicitur, quod ipse primus natura nascitur vel positione et ab eo facta flexione nascuntur obliqui casus." — Comprobatur vero nominativus singularis apud grammaticos Latinos aut aliorum nominum similibus nominativis aut obliquis casibus eiusdem nominis aut deminutione. Raro omittitur causa, cur hoc vel illud nomen analogiae respondeat, velut apud Caprum VII 110,8: „itiner ratione, iter consuetudine" et apud Priscianum II 233,3: „socer soceri, cuius femininum, cum secundum analogiam haec socera [1]) esse deberet, haec socrus in usu est."

Accuratius quaerit Plinius apud Romanum (Charis. 118,33), utrum ⟩aqualium⟨ an ⟩aquarium⟨ dici debeat, et quomodo ex ⟩laterale [2]) laterarium⟨, ex ⟩scutale scutarium⟨ formae efficiantur, ita ⟩aqualis aquarium⟨ dicendum esse arbitratur. — Eadem fere ratio, ut aliorum nominum similium nominativi arcessantur, in alio fragmento Pliniano ap. Roman.-Charis. p. 135,3 nobis videtur occurrere, ubi de nominativo ⟩imber⟨ [3]) agitur; sed cum verba quae apud Charisium exstant satis sint confusa, de Plinii argumentatione ex iis nihil certi effici posse apparet. — Nominativus ⟩proconsul⟨, de cuius terminatione dubitatur, Explan. in Donat. IV p. 499,1 voce „pronomen" collata ita constituitur: „si proconsule dicitur eo quod fungatur

---

[1]) ⟩Haec socera⟨ in inscriptionibus invenitur; cf. Neue-Wagner, Formenlehre der lat. Sprache, I³ p. 891.

[2]) ⟩Laterale⟨ non ⟩laterare⟨ dicendum esse idem Plinius (Roman.-Charis. p. 135,13) similitudine vocis ⟩augurale⟨ confirmat; de re ipsa cf. Brambach, Orthogr. p. 257.

[3]) „Imber ut ⟩september october november december pater mater frater equester⟨, quoniam quae nec conlationem recipiunt nec in neutri generis cadunt formam, ut Plinius eodem libro VI loquitur, non in ⟩is⟨ casu nominativo singulari, sed in r debent vocis exitum ducere".

officio consulis, debemus et hoc pronomine dicere, [1]) non pronomen; pronomen autem dicimus ⟩secundum rectam rationem⟨; ergo et ⟩proconsul⟨ rationabilius, dicitur." Qua re autem „pronomen" ⟩secundum rectam rationem⟨ dicatur grammaticus non explicat. Aliam eiusdem nominativi definiendi normam tradit Cledonius (V 12,32 sqq.), qui p. 13,22 sqq. regulam esse ait, quod simplicia nomina, in qua syllaba terminaverint nominativum, in eandem mittant sua composita, ut decens indecens potens inpotens, curator procurator: ita et consul proconsul; [2]) addit nullum nominativum masculini generis e littera terminatum reperiri. — Ex composito autem nominativum simplicis colligit auctor libri „De dubiis nominibus" V p. 590,11: „Seps . . . sed melius sepis, quia praesepis, non praeseps".

Difficilius est nomina verbalia sub proportionis leges redigere, cum hic non solum nomina ipsa, sed etiam verba, [3]) e quibus nascuntur, comparanda sint. Exemplo sit locus quidam e Probi libro De nom. excerpt. IV p. 212,30: „Salitor an saltor? quod salitorem erudita consuetudo et proba auctoritas indicat, salitor dicimus. alioquin ⟩ratio analogiae⟨ pro altero

---

[1]) Hoc ideo grammaticus praecipere putandus est, quod pronomen vice nominis fungitur, ita ut similis forma simili significationi respondeat.

[2]) Hoc loco legentes monuerim Aristarchum praecipere, „ne unquam simplicia compositis aptemus" (cf. supra p. 31, not. 2). In hac Cledonii commentatione quamvis ridicula nobis videatur, tamen aliquid rationis inveniri libenter concedemus; de aliis vero nominibus frustra quaesiveris, quam ob rem grammaticis similia esse visa sint; velut p. 41,9 idem Cledonius ⟩rex⟨ non mobile nomen esse ostendit, quia non faciat ⟩rega, sicut doctus docta⟨ (de his nominibus ⟩nec mobilibus nec fixis⟨ cf. Cled. V p. 41,6 sqq., Pompei V p. 164,4 sqq., Anecd. Helv. p. 238,28 sqq.).

[3]) cf. Martyrii praeceptum apud Cassiodorum VII p. 183,2 de orthographia nominum agentis: „sciendum quod quaecumque nomina cum verbis habent societatem, verborum regulis . . . ipsa quoque necessario subiacebunt."

est. nam salire tam quam sarcire farcire, ex quibus fiat sartor, non sarcinator,[1] quo modo rude vulgus dicit." — Probus in Inst. art. IV p. 181,$_{22}$ „portitor et cantor et cetera talia a verbis non venire" contendit, cum formas a verbo rationabiliter derivatas „portator" et „cantator"[2] esse necesse sit. Simili modo p. 181,$_{28}$ „lavationem" non a verbo nasci, sed nomen suae positionis esse demonstrat. — Grammaticos nonnunquam tales quaestiones in suspenso reliquisse ex his verbis a Charisio p. 86,$_{14}$ traditis apparet: „Favitor antiqui dixerunt; at fautor nec auctoritate nec ratione deficitur." — Maxime autem ad feminina huius generis verborum definienda, quae a masculinis derivata in ⟩trix⟨ exire solent, alia substantiva similiter formata arcessuntur, quibus nominativi constituantur. Atque imprimis hic non raro secundum analogiam a grammaticis formae finguntur, quas ipsi ab uso loquendi abhorrere fatentur; tamen cum ex talibus fictionibus optime patefiat quomodo veteres analogiam interpretati sint, in his paululum commorabor atque eligam voculam ⟩nutritrix⟨, de qua conferas Charis. I 44,$_{7}$; Prisc. II 140,$_{16}$; 372,$_{2}$; III 494,$_{26}$ sqq.; satis autem habeo locum Priscianeum alterum afferre: „⟩nutritrix⟨: quod quamvis secundum analogiam debuisset dici — in ⟩tor⟨ enim terminantia masculina, quae ex verbis nascuntur, mutant ⟩or⟨ in ⟩rix⟨ et faciunt feminina, ut ⟩doctor doctrix, victor victrix⟨. cum igitur masculinum sit nutritor, ex eo secundum analogiam nascebatur ⟩nutritrix⟨[3]) — euphoniae tamen

[1]) ⟩Sartor⟨, non ⟩sarcinator vel sarsor⟨, recte dici affirmat etiam Pompeius V 149,$_{7}$ sqq., cum qua ratione ⟩sartor⟨ a verbo ⟩sarcire⟨ derivandum sit fusius exponat.

[2]) Pompeius V p. 149,$_{13}$ sqq recte discernit ⟩cano et canto⟨ — ⟩cantor et cantator⟨, item Beda VII p. 268,$_{16}$.

[3]) Deminutivum autem ab illa forma ⟩nutritrix⟨ derivare nemo videtur ausus esse; legitur enim apud Prisc. II 371,$_{12}$ „tonstrix tonstricula, quomodo a nutrix nutricula. et ea per naturam."

cauca concisio facta est . ." Similiter finguntur et defenduntur ⟩conticitrix⟨ (Prisc. III 472,$_{7}$) et ⟩defenstrix⟨ (Prob. Cath. IV p. 13,$_{1}$). Sed discidium factum est grammaticorum de ultima syllaba. In Probi enim libro De nom. exc. IV p. 212,$_{16}$ sqq. „sponstrix" dicitur per ⟩trix⟨ ut „cultor cultrix victor victrix," Charisium autem p. 44,$_{11}$ tonsrix („tonsor tonsrix, non tonstrix") protulisse videmus, „quod ⟩or⟨ litteris in ultimo terminata masculina, si per verba nascantur, ⟩una⟨ littera in femininum adcrescant, ut venator venatrix . . . ." Priscianus vero quamquam III 463,$_{11}$ sqq. secundum analogiam exitum ⟩rix⟨ esse debere concedit,[1]) tamen euphoniae palmam dat, ut vox in ⟩trix⟨ exeat.[2]) — Non minus saepe tractatur substantivum „coniunx", quod cum non sit proprie nomen verbale, tamen ad verbum in cod. Bern. 83 (An. Helv. p. 176,$_{4}$) refertur: quaerit auctor illius codicis utrum ⟩coniux⟨ an ⟩coniunx⟨ dicendum sit. Quam ob rem studet indagare verbum, „in quo sit forma conformis," quod ita flectatur quomodo ⟩coniungo⟨. „Ningo" inquit „sicuti ⟩coniungo⟨ consonanti gaudet in paenultimo tam praesenti quam praeterito;"[3]) — itaque hanc facile invenit ratiunculam: „ninxi: nix = coniunxi—coniux;" coniux igitur dempta n littera scribendum censet. — Utramque formam Scaurus VII p. 20,$_{10}$ ratione defendi vult,

[1]) Idem l. l. v. 17 etiam ⟩tonsrinam⟨ ut formam analogiae respondentem efficit non ignorans „neminem dicere ⟩pransrix cursrix tonsrix⟨" (cf. III 505,$_{6}$ „in ⟩sor⟨ autem desinentia vel in ⟩xor⟨ verbalia feminina facere non possunt"). Quod contra Charisius l. l 44,$_{12}$ etiam ⟩fossor fossrix, cursor cursrix⟨ dicere non dubitat.

[2]) Ceterum locos ad hanc rem spectantes iam maximam partem collegit Brambach, l. l p. 255 sq.

[3]) Iam antea monui grammaticos non semper similitudinem accurate servavisse; idem apparet e verbis Prisciani II 504,$_{7}$: „ningo quoque n i n x i, unde et nix, sicut a d u x i dux, a rexi rex".

⟩coniunx⟨ propter verbum ⟩coniungo⟨ quod habeat n litteram, ⟩coniux⟨ propter genetivum ⟩coniugis⟨. Praeter hos duos locos quos omisit vir doctissimus, reliqui loci eodem pertinentes collati sunt a Brambachio p. 270 sq.

Vehementer disceptatum est inter grammaticos de ⟩lactis⟨ nominativo:[1]) Charis. 102,$_{4}$, Pomp. V 199,$_{9}$ sqq. (cf. Julian. exc. V 326,$_{25}$ sqq.); Prisc. II 21,$_{9}$; Ars Anon. Bern. (An. Helv.) 120,$_{3}$. „Lac" dici non posse contendit Pompeius; nam cum simile sit „allec", quod genetivum „allecis" habeat, etiam „lac" „lacis" genetivum facere necesse esse. Propter t litteram autem in genetivo „lactis" duos nominativos licere proferre cencet Charisius: „lact" vel „lacte"—comprobatur ab eo „lacte".[2])

Ex genetivo singularis etiam ⟩supellectilis⟨ nominativo potius dicendum esse quam supellex conicitur apud Charis. p. 47,$_{29}$ sqq., Exc. Bob. I 546,$_{6}$ sqq., Charis. 88,$_{10}$, 144,$_{13}$ (Roman.), etiamsi „exemplum nondum inventum sit."[3]) His locis alia ratio praevalet, unde „omnia masculini et feminini generis vocabula singulari numero in declinatione non plus quam ⟩una⟨

[1]) Sufficit mihi eos locos afferre, in quibus analogiae vestigia quaedam appareant.

[2]) cf. Prisc. l. l. „. . . quare a quibusdam non irrationabiliter nominativus „hoc lacte" prolatus invenitur;" (cf. Prisc. II 212, $_{4}$, ubi Caper de lactis nomine disserens laudatur.) — Ceterum iam inter Varronem et Caesarem de nominativo huius vocis dissensionem fuisse accepimus; de Varrone cf. G. et Sch. frg. 119, de Caesare Schlitte l. l. frg. VI. — Totam controversiam dilucide explanavit Ritschl Rh. M. VII 1880, p. 583 sqq. et p. 606 sq. Idem vir doctissimus contextum apud Cledonium p. 48,$_{22}$ sqq., quem supra omisi, valde corruptum esse recte cognovit. Quem locum restituere conatus est Bertsch l. l. p. 37 sq. Schoellii coniecturis usus.

[3]) cf. Festus, p. 294 (b) 7 M. „⟩Supellectilis⟨ recto casu et senis⟨ ratione dicebantur."

syllaba increscant."[1]) — In duobus nominibus ⟩pulvinar et torcular⟨ propterea nominativum melius in e quam in l terminari volunt nonnulli grammatici (Charis. 85,$_{19}$; 145,$_{27}$ [Roman.]; Exc. Bob. I 541,$_{2}$ sqq.; Prob. IV 124,$_{29}$), quod genetivus a litteram productam habeat, in nominibus vero in ⟩al⟨ terminatis a correptam.[2]) Alia substantiva, quorum nominativi a genetivis deducuntur, sunt haec: elephantus (Rom.-Char. p. 127,$_{22}$, ubi accedit ablativ. sing.), carnis (Prisc. II 208,$_{18}$), plebs (Charis. p. 40, $_{9}$). Mira autem et confusa praecepta de recto casu ex genetivis derivando exstant apud Priscianum III 144,$_{25}$.[3]) Concedit quidem ille grammaticus id quod plerique docent totam declinationem a genetivo pendere, sed genetivum non

[1]) Eandem rationem postea saepius adhibitam inveniemus; pluralis numeri genetivus ne unquam „pauciores syllabas habeat quam nominativus" postulat Plinius (Roman.-Charis. 142,$_{12}$).

[2]) Alia est sententia apud Charis. I 26,$_{15}$, Exc. Bob. I 541,$_{2}$ sqq. (cf. Beda VII 237,$_{11}$) ubi de isdem substantivis disseritur; his locis nominativum ideo a longam habere confirmatur, quod quibusdam placuerit „pulvinare" dicere; nam hoc praeceptum ad accentum pertinens ex ⟩historia⟨ quadam fluxit, si Scauri definitionem ⟩historiae⟨ VII p. 12,$_{7}$ urgemus qui in orthographia „sed" per d scribendum esse censet, quia antiqui „s.dum" dixerint.

[3]) „Nullus enim genetivus qui non ex nominativo fit, convenienter declinatus potest numerum pluralem nominativo consequentem exhibere; declinatus enim a nominativo congrue huic condeclinat tam sequentes casus quam numeros. itaque ἑτερόκλιτα . . . necessario consequetur aliquis nominativus aptus genetivo, ex quo reliquae figurationes tam numerorum quam casuum redduntur, ut i t i n e r i s genetivus fecit i t i n e r i et i t i n e r a, et ex hoc nominativus quoque i t i n e r necessario accipitur. Similiter ⟩p r e c i s et v i c i s et f r u g i s et l a t e r i s⟨, qui sunt genetivi, faciunt ⟩p r e c i et v i c i et f r u g i et l a t e r i et p r e c e s v i c e s f r u g e s l a t e r e s⟨; quapropter oportune inerunt nominativi . . et ⟩p r e x et v i x et f r u x vel f r u g i s et l a t e r⟨". (De nominativo ⟩later⟨ cf. Rom.-Char. I 135,$_{17}$ et Pompei. V 187,$_{1}$ sqq.)

rite formatum esse existimat, nisi nominativum consequatur; tamen etiam in contrarium mutat praeceptum, cum genetivo rectum nominativum deprehendi posse contendit. Quae cum ita sint, non est mirum altero loco Prisciani II 371,$_{18}$ nominativos fingi hos: faux prex[1]) dicio, sed addit grammaticus auctores qui iis usi sint non inveniri; „quamvis proportione potestatem faciente dicendi." Huic loco adseras eiusdem grammatici similem sententiam, quae exstat II p. 310,$_{8}$: „Sunt tamen" inquit „quaedam nomina, quorum aliqui casus in usu deficiunt: quos ⟩quamvis secundum analogiam possumus proferre, tamen quia apud auctores non invenimus, recusandos puto⟨, ut huius tabi huic et ab hoc tabo . . . ceteri vere casus in usu non facile inveniuntur."

Plane pueriliter autem analogia utitur Priscianus II p. 208,$_{1}$, ubi de nominis ⟩Anio⟨ declinatione hoc modo alucinatur: „Anio etiam ⟩Anienis⟨ — quod antiqui secundum analogiam ⟩Anien⟨ nominativum proferebant." Hoc loco nominativus ⟩Anien⟨ ideo mihi videtur analogus appellari, quia quadret ad genetivum Anienis. Manifestum igitur est grammaticum eodem revolvi, cum genetivum colligat ex eo nominativo, quem ipse antea eodem genetivo comprobavit. — Propter ablativum singularis ⟩iugero⟨ Plinius Secundus ap. Pompei. V 193,$_{25}$ sqq. non ⟩iuger⟨, sed ⟩iugerum⟨ dici voluit; huic loco addas quod Priscianus II 166,$_{8}$ mirum in modum ex ablativo ⟩victrici⟨

---

[1]) Apud Charis. I 93,$_{15}$ sqq. monetur, ne vocula ⟩prex⟨ inusitata adhibeatur, altero loco autem eiusdem grammatici p. 42,$_{13}$ (ubi scriptum est ⟩praex⟨) et in Exc. Bob. p. 546,$_{31}$ in nominibus monosyllabis feminini generis numeratur (cf. Augustin. V 498,$_{22}$); apud Charis. p. 42,$_{14}$ = Exc. Bob. 546,$_{32}$ etiam ⟩vix⟨ nominativus invenitur. Cum hos locos a me laudatos tum alios, quibus Excerpta Bob. et Charisius consentiunt, comparavit L. Jeep, l. l. p. 2 sq.; cf. Tolkiehn, „Cominianus," qui p. 68 id genus adnotationes auctoritati Cominiani deberi comprobavit.

signo⟨ secundum analogiam etiam ⟩hoc victrix⟨ dicendum esse docet, „etiamsi nunquam lectum sit". — Pluralis autem numeri nominativus ⟩amicitiae⟨ apud Roman. — Charis. p. 118,$_{15}$ a Plinio affertur, ut „amicitia an amicities" emendata vocula sit diiudicetur; p. 57,$_{4}$ ap. Charis. similiter de nominativo vocis ⟩canitia⟨ disputatur: „Canitia an canities dicenda sit quaeritur. canitia nec inrationabiliter nec abhorride dicitur, et ideo non est ab analogia recedendum." [1]) — Item ex pluralis numeri casibus, „vasa vasorum vasis" rectius ⟩vasum⟨ quam ⟩vas⟨ dici Cledonius V p. 46,$_{12}$ [2]) et Pompeius V p. 190,$_{16}$ sqq. consentiunt. — In tertia denique declinatione pluralis quoque nominativus respicitur in nominibus in ⟩al⟨ syllabam finitis apud Charisium p. 62,$_{9}$ (cf. Roman. I p. 117,$_{18}$ et Palaem. V 538,$_{29}$ sqq.): rationem poscere ⟩vectigale⟨, cum nominativus pluralis plus una syllaba a singulari crescere non debeat; [3]) tamen grammaticus consuetudinem sequi mavult. — Eos vero locos, ubi substantivi ⟩os⟨ nominativus singul. ad pluralis normam dirigitur— disputatur enim a grammaticis, utrum os an ossum an ossu dicendum sit—silentio praeteream, cum altera ratiocinatio ab incerto quodam Plinii auctore tradita, quae exstat apud Roman.—Charis. p. 139,$_{4}$, satis sit

---

[1]) Haec quoque verba fortasse Plinio attribuenda esse Beckio (C. Plinii Secundi libr. dub. serm. VIII Reliquiae, Lips. 1894 p. 61) concedo; monendus autem est, quod alterum locum Plinii nomine ornatum („amicitia", Char. 118,$_{15}$) in opusculum suum recipere oblitus sit.

[2]) Cledonius antiquos laudat, quod ⟩vasum⟨ dixerint quomodo ⟩scamnum⟨.

[3]) Alia ratio apud Charisium p. 25,$_{23}$ adhibetur, cum de nominativo ⟩salis⟨ sit quaestio: sale dicendum esse, quia nullum Latinum in hac finiatur extremitate ⟩al⟨. (Cf. etiam Prob. Cathol. IV 8,$_{25}$ = Sacerd. VI 473,$_{23}$). — De his formis certum iudicium non fit apud Charisium p. 38,$_{15}$: „eadem" inquit „nomina neutralia, quae per l litteram terminantur, etiam e littera terminari invenimus, ut tribunale animale bidentale".

ridicula, [1]) altera qua auctor Fragmenti Bobiensis V p. 538,33 sqq. utitur, omnino confusa. — Restat ut paucis exponam quomodo grammatici ad ultimas nominativorum syllabas eruendas deminutione usi sint. Cuius rationis exemplum invenitur apud Roman.—Charisium p. 125,19: „⟩Canes⟨ Lucilius . . . pro ⟩canis⟨. nec enim potest dici ut nubes sedes, sed ut funis turris. canicula enim facit ut turricula funicula.“ [2]) Eodem modo Priscianus II 242,1 sqq. deminutivis ⟩apicula et fidicula⟨ adiutus nominativos ⟩apis et fidis⟨ defendit. [3]) (cf. Prisc. II 105,22 sqq.).

De casibus obliquis

1. primae declinationis. Hic in una quaestione analogia adhibetur apud Charisium p. 55,21, ubi dubitatur, utrum ⟩amforarum⟨ an ⟩amforum⟨ genetivus pluralis proferendus sit: in consuetudine ⟩amforum⟨ esse, [4]) rectius autem dici ⟩amforarum⟨ propter ablativum singularis, ut Sisenna Sisennarum Perperna Perpernarum collega collegarum. [5])

---

[1]) Plinius ipse apud Roman.-Charis. p. 138,18 vocabulum ⟩os⟨ ut monosyllabum omnino ab analogia removet.

[2]) Quintilianus autem Inst. orat. I 6,6 deminutivo ⟩funiculus⟨ utitur, ut masculinum genus nominis funis detegat.

[3]) Mutata ratione Priscianus II p. 209,2 deminutionem a nominativo ducit: „caro caruncula ut virgo virguncula, ratio ratiuncula . . . ab eo autem, quod est carnis, carnicula debet esse ut canis canicula“, et p. 231,1 (cf. 562,3 sqq.) idem ⟩puellam⟨ derivandam esse censet a puera, sicut ⟩capra capella, tenera tenella, umbra umbella⟨.

[4]) cf. Charis. p. 56,4, qui locus integer traditus est in Excerptis Cauchianis (Gr. L. I p. 608): „Romanus autem in libro de analogia refert sic ⟩anforum⟨, sed et ceteri assidue anforum dicunt, si coniunctim, ut x milia anforum . . . — si per se, ⟩anforarum⟨; add. Char. p. 100,14.

[5]) Eadem exempla excepto ultimo, cuius loco Catilina ponitur, occurrunt ap. Charis. p. 51,27: „Sisenna Perperna Catilina. horum ⟩inperturbata declinatio⟨ est. nam in plurali genetivo ⟩arum⟨, dativo et ablativo ⟩is⟨, accusativo ⟩as⟨ litteras accipiunt.“

2. secundae declinationis. Numero syllabarum declinatio definitur vocis ⟩carduus⟨ apud Charisium p. 74,34 (cf. Beda VII p. 266, 1): „Carduus trium syllabarum est ut arduus fatuus mortuus, ideoque similiter declinandum est.“ — Maxime autem de nominibus in ⟩ius⟨ et in ⟩ium⟨ [1]) finitis agitur; quaeritur enim, utrum in genetivo singularis per ii an per i exire debeant. [2]) Atque hanc quaestionem iam a Lucilio, [3]) deinde a Varrone, [4]) tum a Plinio [5]) positam fuisse a Charisio p. 78,4 sqq. accepimus, et praeter Lucilium qui i litteram simplicem quoque defendi posse docet, ceteri omnes fere [6]) consentiunt genetivum eorum nominum per i duplicem scribendum esse, „ne necesse sit adversus observationem nominum nominativo minorem fieri genetivum“. — Plinius apud Roman.—Charis. 122,6 etiam alteram huius scribendi rationis affert causam, quod genetivum non solum cum nominativo crescere, sed etiam dativo parem esse [7]) oporteat. Caesellius vero grammaticus apud Cassiodor. VII 206,6 sqq., qui „Pompeiius et Tarpeiius et similia“ iam nominativo per duas i scribenda esse censet, genetivo etiam tertiam i poscit: „si enim“ inquit „. . nominativus duo i habet pro duabus consonantibus, haec perire nulla declinatione possunt“,

---

[1]) cf. Vel. Longus VII 57,8 . . . „non enim tantum in masculinis hoc quaeritur, sed etiam in ⟩neutris⟨. quoniam id postulat ratio.“

[2]) De hac re cf. Brambach, p. 188 sqq.

[3]) cf. Marxii comment. p. 134 sqq. et p. 409 sq.

[4]) cf. G. et Sch. frg. 120.

[5]) cf. Beck, l. l. p. 85.

[6]) Charis. 71,1 sqq., Roman.-Charis. 141,6 sq., Prob. Inst. art. IV 112,15 sqq., lib. De ultimis syllabis IV 227,22 sqq., Frg. Bob. V 555,11 sq., Maxim. Victorin. VI 190,10 (= Audac. Exc VII 342,10), Scaur. VII 22,4, Vel. Long. VII 57,6 sqq.

[7]) Idem praeceptum inveni apud Roman.-Charis. p. 143,16, quo loco ⟩supellectilis⟨ genetivus, quamvis duabus syllabis crescat, defenditur, ⟩quia dativo minor esse non debeat⟨.

addit autem hanc rationem „moderno usu excludi“; cf. Prisc. II 14,10. — Etiam in vocativum singularis hanc legem parilitatis syllabarum Varronem transtulisse tradit Charisius p. 78, 6 sqq.[1]). Priscianus autem II 304,25 hanc formam per unam i scribere mavult (cf. II 302,18 sqq.), quae cum vocali quae antecedit, velut in ⟩Pompei Gai⟨ in unam syllabam contrahenda sit. Itaque laudat Horatium qui ⟩secundum analogiam⟨ in versu: „Duras ait Vultei nimis attentusque videris“, ⟩Vultei⟨ disyllabum protulerit.[2]) — A Cledonio V p. 44,13 antiqui laudantur, qui etiam vocativum nominum secundae declinationis in ⟩us⟨ desinentium ⟩rectum⟨ fecerint;[3]) ceterum regula erat, ut illa nomina vocativum in e mitterent; itaque quidam vocativum ⟩puere⟨ rectius a nominativo ⟩puerus⟨ derivandum esse censuerunt (Prisc. II 301,1 sqq.). — Probus Inst. art. IV p. 108,18 (cf. v. 22 sqq.) secundum regulam ⟩o Ilionee⟨ declinat, item Priscianus III 511,31 tantum euphoniae vel metri causa vocativos ⟩deus pro dee, fluvius pro fluvie, populus pro popule⟨ admittit. — Pluralis numeri casus secundae declinationis in uno nomine ⟩deus⟨ analogiae auxilio definiuntur, de quare fuse et dilucide egit Brambach l. l. p. 137 sqq.

---

[1]) „idque Varro tradens adicit vocativum singularem quoque talium nominum per duplex i scribi debere, sed propter differentiam casuum corrumpi“; cf. etiam Scaurus VII p. 22, 9 „. . . propter quam causam ego etiam vocativos horum per duo i, non ut consuetudo usurpavit per unum putem esse scribendos, quia non debeat aeque vocativus minorem numerum syllabarum habere quam nominativus. ita o Antonii et o Aemilii in singulari vocativo et dicendum et scribendum esse contenderim“. Huic loco addas Prob. Inst. art. IV p. 105,16 sqq, 33 sqq.

[2]) Hic locus iis quae Brambach l. l. de vocativo profert addendus est

[3]) Vocativum nominis ⟩filius⟨ veteres nominativo adaequavisse tradit Servius IV p. 409,16. — In Frg. Bob. V p 556,15 vocativus ⟩fili⟨ hac de causa comprobatur, quia hoc nomen ⟩regulae propriorum inrepserit⟨; Priscianus III 512,2 sq. vocativum tam ⟩fili⟨ quam ⟩filie⟨ dici posse affirmat.

3. tertiae declinationis. Cum in multis nominibus difficile sit declinationem cognoscere, in uno genere verborum secundum Phocae regulam statim ex numero syllabarum apparet declinatio – est genus monosyllaborum, ut ait grammaticus V 416,20: „Ur syllaba finita generis masculini haec sunt, hic fur hic satur. sed fur quidem ⟩iuxta rationem monosyllaborum⟨ tertiae est declinationis“ et p. 427,16: „aes . . . ⟩iuxta rationem monosyllaborum⟨ tertii ordinis est.“ Atque haec quidem Phocae ratio est; alios vero grammaticos monosyllaba ab analogis verbis segregasse supra (p. 30, n. 2) diximus. Iam ad singulas formas transeamus:

α) genetivi singularis.

C a n c e r i s, Prisc. II 232,14 sqq.

Analogiam a nominativo ⟩cancer⟨ genetivum ⟩canceris⟨ poscere ut a ⟩cicer ciceris⟨ contendit Priscianus; in usu vero esse ⟩cancri⟨. — cf. Prisc. II 233,13, a c e r i s — a c r i.

I e c o r i s — i o c i n e r i s, Charis. 86,16 sqq.; Prisc. II 238,16. Charisius eos, qui rationem servarent, a nominativo ⟩iecur⟨ genetivum ⟩iecoris⟨ dixisse affirmat, et Prisciano genetivus ⟩iocineris⟨ a nominativo ⟩iocinus⟨, qui in usu non sit, videtur esse derivandus.

I t e r i s - i t i n e r i s, Charis. 83, 3, 49,17 sqq.; Exc. Bob. 546, 6 sqq.; Roman.-Charis. 134,15.

His locis eandem observationem de numero syllabarum nominativi et genetivi habemus, quam iamdudum cognovimus; cf. p. 46 sq. Unde ⟩iteris⟨ genetivus ab ⟩iter⟨, ⟩itineris⟨ ab ⟩itiner⟨ derivatur. Utriusque formae exempla ex Pacuvii carminibus traduntur ap. Roman.-Charis. l. l. [1]).

---

[1]) cf. Pric. II 228,20: „excipitur . . . hoc iter, dicimus enim ⟩huius itineris⟨, quamvis antiqui et hoc iter iteris et hoc itiner itineris dixerunt.“ — Romanus autem (Char. 135,1) etiam sententiam affert eorum, qui rationem paulo ante explanatam non probant: „quidam tamen“ inquit „sic istud (i. e. iter itineris) notant, quasi sit unum ac novum duabus syllabis crescens.“

Juppitris, Prisc. II 229, 6 sqq.

Priscianus nonnulla nomina e vetustissimorum libris deprompta genetivi ancipitis enumerat: „hic accipiter huius accipiteris et accipitris, Opiter Opiteris et Opitris, Maspiter Maspiteris et Maspitris" — tum hoc modo pergit: „Sic etiam" inquit „Juppiter Juppiteris et Juppitris, ut Caesellio Vindici placet, debuit declinari."[1])

Salis, Charis. p. 25,23.

Hic a grammatico nihil aliud respicitur nisi ultima littera nominativi; nam comparatur ⟩sale⟨ cum „lacte et mare:" ut „maris et lactis" ita etiam ⟩salis⟨ dicendum esse.

Senecis, Roman.-Charis. 144, 3; Prob. De nom. exc. IV 212,34 sqq.

Uterque grammaticus a nominativi terminatione ⟩ex⟨ orditur: Romanus nomina in ⟩ex⟨ finita genetivum in gis vel cis syllabam mittere oportere contendit velut vertex verticis al., Probus autem monet talia nomina genetivo „adcrescant" necesse esse, ut ⟩calx calcis sorex soricis⟨; idem ⟩senis⟨ genetivum omnino repudiat: „vitiose", inquit p. 213, 1, „ergo loquuntur qui dicunt senis, quamvis pro his consuetudo pugnet." (cf. ib. 212,34: „vitiose ⟩senis⟨, quamvis illud erudita auctoritas custodiat.")

[1]) Pompeius V p. 142,24 (cf. 187,9 sq.) hoc nomen „a maioribus integre declinatum esse" — Iuppiter Iuppitris . . commemorat, cum ipsi itemque Probo, Cathol. IV 8,8 sq. nominativus tantum et vocativus „hic Iuppiter et o Iuppiter" fieri posse videantur, et Probus addit eum qui „hic Iuppiter huius Iovis" declinet, etiam „hic Phoebus huius Apollinis" declinare posse. — Caprum etiam nominativum ⟩hic Iovis⟨ tradidisse narrat Pompeius p. 187,10 (cf. Prisc. II 189, 5: „Sunt alia quorum nominativus quidem in usu non est, obliqui autem sunt, ut Iovis Iovi Iovem a Iove, quamvis vetustissimi nominativum quoque ⟩hic Iovis⟨ proferebant.")

Turbonis — turbinis, Plinius ap. Roman.-Charis. 144,30, Prob., De nom. exc. IV 210,30.

Discernitur nomen proprium et nomen appellativum; ne longus sim, locum e Probi libro afferam: „Turbo declinatur ut virgo, et cum proprium hominis nomen est, declinatur ut Cato." Caesarem autem in l. II analogiae hanc distinctionem neglexisse ex loco Romani quem supra laudavimus apparet, quippe qui „turbonem etiam in tempestate dici debere ut Cato Catonis, non ut homo hominis" docuerit.[1])

Coniungis, Prisc. II 372,14 (cf. 278, 8; 454,9 sq.): „coniunx coniungis secundum analogiam debuit proferri, sed ne verbum putetur, absque n profertur ⟩coniugis⟨"[2]).

β) ablativi singularis.

De hoc casu maxime quaeritur, utrum in e an in i exeat (cf. Brambach, l. l. p. 158 sqq.), sed analogiam plus minusve certam duobus tantum locis inveni: ap. Charis. p. 61, 6 ablativus ⟩a mare⟨ ex terminatione nominativi derivatur; comparatur enim cum aliis quibusdam neutralibus, ut ⟩rete Soracte praesepe ancile⟨, ablativo in e desinentibus; itaque ⟩ab hoc mare⟨,

[1]) Etiam „homo homonis" declinatum esse testimonia exstant grammaticorum (cf. Probi Cathol. IV 10,28 et Augustin. V 502,3), nec aliter nisi ex hac declinatione intellegi potest analogiae definitio quae traditur apud Consentium V p. 353,25: „ergo analogia nominum in conlatione maxime parium, ut homo sermoque . . . perspicitur".

[2]) Aliam quaestionem de ⟩coniugis⟨ declinatione ponit grammaticus quidam ap. Charis. p. 87,9, quare ⟩nux nucis⟨ faciat, ⟩coniux autem coniugis⟨, et defendit hanc formam, „quia a verbo deducatur, id est a iungendo". Simili modo aliae voces comprobantur, quae, cum per ⟩cis⟨ aut per ⟩tis⟨ eas finiri oporteat, genetivo „gis" aut „dis" syllabam habent, velut remex rex grex (Char. 88,25; Prisc. III 478,28), praeses reses deses obses (Charis. 29,2 sqq., 70,9; Roman. 132,13 sqq.) — Probus in libro „De nomine excerpta" IV p. 214,36 sqq. miram huius rei affert causam, quod antiqui c litteram pro g posuerint.

non ⟩ab hoc mari⟨ dicendum esse grammaticus pro certo habet; cf. Brambach p. 167 sq. — E dativo singularis ⟩iubari⟨ ablativum ⟩ab hoc iubare⟨ proferendum esse, ut ⟩huic farri ab hoc farre⟨ a Plinio colligitur (Roman.-Charis. p. 113,18 sqq.). Eodem vero loco Caesarem id praecepisse a Plinio accepimus, ut neutra omnia ⟩ar⟨ nominativo clausa per i dativum ablativumque singularis ostenderent; cf. Brambach p. 166 sq. Ex deminutione denique, qua iam saepius in dubiis rebus duce usos esse grammaticos invenimus, Consentius V p. 355, 7 ostendere studet, quando ablativus in i et accusativus in im aut ablativus in e et accusativus in ⟩em⟨ exire debeant.[1])

γ) genetivi pluralis numeri.

Imprimis in nominibus masculini et feminini generis declinandis dubitatur, utrum in ⟩um⟨ an ⟩ium⟨ ille casus exeat. Apud Romanum (Charis. p. 138, 9) Cicero laudatur, qui ⟩rationis memor⟨ „parentium“ dixerit, nam „ns litteris“ inquit Romanus, „nominativus singularis si terminetur, genetivus pluralis ante um i recipiat necesse est“ (cf. Diom. I 306, 8 sqq.), et eandem formam probat Priscianus accusativo plurali in ⟩is⟨ exeunte [2]) nisus, qui proprius sit nominum, quae

[1]) „Datur tamen hic quaedam observatio, quae dirigat indicium nostrum, siquando dubium est, utrum ablativus singularis i an e debeat terminari, itemque utrum accusativus singularis in ⟩im⟨ an in ⟩em⟨: nam si in deminutione ultimae syllabae vocalis a nominativo veniens producitur, facit contingere in utroque casū i ponendum esse ut haec turris turricula, ac perinde a turri turrim facere eqs.“ — Accusativus horum nominum ad ablativum refertur apud Romanum (Char. 126, 4): „Varro de poematis II lentim, quod eorum nominum ablativus singularis in i exit. avem autem et navem: quoniam ab hac ave et nave faciunt, accusativus per i dari non potest.“

[2]) Horum nominum accusativum pluralis in ⟩eis⟨ syllabam mittendum esse contendit Plinius contra Varronem (cf. Rom.-Char. 129,19 sqq. al.); de his formis cf. Brambach l. l. p. 149 sqq.

genetivo in ⟩ium⟨ terminentur. — Caesarem vero „in analogicis“ genetivum ⟩partum⟨ defendisse accepimus a Romano apud Charisium p. 141,20, „sed consuetudo“ inquit Plinius „ut praegnatium optimatium.“ Charisius autem p. 42,18 ea nomina monosyllaba, quae singulari ablativo per e exeant, genetivo plurali per ⟩ium⟨ regulariter cadere docet. Grammatici ipsi cum desperaverint huius rei certam rationem inveniri posse, Consentius quamvis V p. 355,28 sqq. nonnullas regulas certiores indagare studeat, tamen euphoniam in hac parte declinationis regnare concedit: pleraque enim ex omnibus istis regulis consuetudine inmutata esse.[1]) — Neutrorum quoque nominativo plurali in a cadentium utrum genetivus faciat ⟩ium⟨ an ⟩orum⟨ difficile est cognoscere, ac summa est caligo in iis nominibus, quae pluralia tantum sunt, cum in ceteris plerumque ex singulari numero declinatio pateat. Simplicem quidem regulam Valgium dedisse Plinius refert apud Romanum (Char. 143,24 sqq.): „nomina semper pluralia, si ante novissimam a litteram i habebunt, deposita a et adsumpta um facere genetivos pluralis, velut Liberalia Floralia Liberalium Floralium; si autem ante a i non habebunt, in ⟩rum⟨ faciant necesse est genetivum. itaque exta castra extorum castrorum faciunt.“ [2]) In ⟩um⟨ vero genetivum eorum nominum, quorum nominativus pluralis in ⟩ia⟨ exeat, omnino fieri non posse

[1]) cf. Explan. in Don. IV 496,10: „ab hoc pariete horum parietum . . ., ab hoc hoste horum hostium, ibi in ⟩um⟨ mittit, ibi in ⟩ium⟨. huius rei discretionem ars non habet, sed auctoritas sola; ideo tene te ad auctoritatem.“

[2]) cf. Pomp. V 168, 9: „quo modo sumimus regulam? ita ut, si a solum habuerit, in ⟩ium⟨ mittat: sin cohaereat consonantibus, in ⟩rum⟨ mittat, puta. tecta tectorum tectis,“ et Prob., De nom. exc. IV 208,23: „Omnia nomina pluralia ia litteris nominativo finita genetivum in ⟩ium⟨ syllabam mittunt, ut moenia hilaria eqs.“

docet Plinius lege numeri syllabarum nixus (Roman.-Charis. 142,12 „rete"). Sed plerumque grammaticos aliis regulis uti videmus. His locis, de quibus nobis dicendum est, imprimis nomina dierum festorum, velut Saturnalia Compitalia Vulcanalia Minervalia al., tractantur: Charis. 52,14; Donatiani frgm. VI 276,19,[1]) Roman.-Char. 143,19; Pompei. V 196,19. — De dativo itemque de ablativo horum nominum plurali non dubitatur: Charisius enim p. 52,16 „dativi" inquit „mansit regula, ut bus syllaba finiretur." [2]) Quem casum respiciens Romanus l. l. alia confert verba, quorum dativus in bus cadit: „itaque fulmina fulminum, lupanaria lupanarium—Saturnalia Saturnalium. bus enim syllaba dativus et ablativus clauduntur." [3]) Servius autem IV p. 434,31 sqq. et Pompeius V 195,31 sqq. haec nomina omnino extra regulam esse docent, cum ablativo singularis careant. Plerumque enim grammatici ablativo singularis usi normam pluralis numeri formandi deprehendunt.[4]) Tamen Pompeius V p. 195,22 sqq. ex similitudine pluralis aliorum nominum numerum singularem habentium eius de qua quaeritur vocis ablativum singularis fingit atque inde pluralem declinat. Addendus est alius locus artis eiusdem grammatici p. 167,24 sqq. numerum pluralem

---

[1]) De locis e Charisii arte et Donatiani fragmento laudatis cf. Tolkiehn, BphW. 1909, 1484 sq., qui sagaciter verum contextum verborum et sententiarum enucleavit.

[2]) Hoc praecepto Plinius usus (ap. Roman.-Charis. p. 125,23) Pomponium Secundum vituperat, qui ›cetariis‹ dixerit, „cum ratio cetaribus poscat, ut moenia moenibus . . . ea enim nomina, quae i ante a habent, ut ceteria, in bus necesse est desinant."

[3]) Simili modo in Probi De nom excerpt. IV p. 308,32 genetivus ›cibariorum‹ enucleatur: „non enim possumus dicere ›cibaribus‹. ergo genetivum ›rum‹ syllaba terminemus, id est ›cibariorum‹, ut reliqua Latine claudantur."

[4]) Qui ad hanc rem pertinent loci, enumeratos tractavit Ludovicus Ieep, Redeteile p. 163 sq.

etiam ad nominativi singularis formam dirigentis.[1]) Nullo vero certo casu respecto Pompeius p. 196,21 similis nominis numerum singularem affert ›agile‹, quod faciat pluralem numerum ›agilia‹ — ut ›ancilia Vulcanalia‹; itaque ut ›agilium‹ etiam ›Vulcanalium et ancilium‹ dicendum esse colligit.[2])

4. quartae declinationis. In nominibus in ›us‹ terminatis masculini generis dubitari potest, utrum secundae an quartae declinationis sint. Hic quoque similia nomina ad declinationem aperiendam utilia sunt; velut apud Priscianum II 261,16 ›vultus‹ quartae attribuitur: „vultus" inquit „praeterea quartae est, quod quasi rei est vocabulum a ›volo‹ verbo quomodo a ›colo cultus‹"; et apud eundem grammaticum II p. 262,1 „artus" secundum quartum ordinem flectendum esse ex neutri generis forma ›hoc artu‹ colligitur: „omnia enim masculina quae neutra quoque in u de-

---

[1]) cf. ibid. v. 27 sqq.: „Quodsi contingit, ut nomen sit tantum numeri pluralis, numquid potes quaerere singularem, qui nullus est, ut det tibi rationem, quem ad modum possis colligere et quem ad modum declines? collige ad similitudinem nominativi, qui nominativus de numero singulari concipit regulas. puta haec Musa huius Musae. si fuerit et illud nomen numeri singularis, iam sic declinas, quem ad modum Musa: puta kalenda, vides quia sic exit, kalendae" eqs.

[2]) Paulo superius p. 196,5 idem nominativis ›agiles et manes‹ compositis (p. 168,1 sqq. ›faciles et manes‹) genetivum et dativum ›manium et manibus‹ deprehendit. Pergit autem hoc loco v. 8 grammaticus ita: „habes quidem" inquit „has regulas tenendas, secundem quarum rigorem possint declinari; tamen scire debes maiores nostros ista nomina numeri pluralis pro sua licentia protulisse. licebat illis, et dicebant ›horum maniorum et horum manium‹. qua ratione? quoniam non poterat eis obicere inperitiam regulae sublatio numeri singularis."

sinentia inveniuntur, eiusdem sunt declinationis, ut)hic tonitrus hoc tonitru, hic cornus hoc cornu(— ergo similiter)hic artus hoc artu(". — Sunt praeterea quaedam nomina similem nominativum habentia atque participia, velut passus visus cultus auditus missus; (cf. Diom. I 402,$_{25}$; Prob. IV 142,$_{23}$ sqq.) „quibus hoc monemus" inquit Probus l. l. v. 26: „ut tunc haec intellegi debeant nomina, quando ad exemplum)fluctus(per casus reperiuntur esse declinata, quoniam omnia participia praeteriti temporis ad)docti(formam necesse est per casus esse pronuntianda." — Genetivi singularis terminationem)us(esse contendit Charisius p. 54,$_{31}$ contra Terentium, qui)anuis(,[1] et Sallustium, qui)senati([2] dixerit, „cum ratio exigat huius anus, huius senatus dicere"; derivat enim genetivum ab ablativo singulari: a navi exsistere navis, a portu portus. — Contra falsam quandam analogiam, quae nonnullorum nominum dativo et ablativo plur. inrepserit, declamat Pompeius V p. 194,$_{10}$ — 195,$_{15}$. Regulam enim esse dicit, ut ablativus singularis u littera terminatus dativum et ablativum pluralem in)bus(mittat „u in i mutata semper." Paucis, quae propter differentiam excepta sint, terminationem)ubus(concedendam esse, cetera vero similiter declinari non posse: „Sic enim" inquit extrema oratione p. 195,$_{13}$ „specubus usurpatur, quemadmodum et tribubus, cum ratio exigeret, ut diceremus tribibus, quippe cum

[1]) cf. Gellius IV 16,$_{1}$ et $_{9}$ (h. e. Caesar); Prob. Cathol. IV 25,$_{31}$; Sacerd. VI 476,$_{21}$; Prisc II 268,$_{11}$. — De hac ratione dicendi nonnulla annotat Beck. l. l. p. 17 ad Plinii verba, quae exst. ap. Roman.-Charis. 143,$_{12}$ sqq.

[2]) Consentius V p. 363,$_{28}$ sqq. secundum analogiam vocem)senatus(et quartae et secundae declinationi assignari posse existimat; id quod pulchrius sit, per euphoniam eligendum esse censet; cf. Quintil. I 6,$_{27}$: „Quid de aliis dicam, cum senatus senati an senatus faciat, incertum sit".

nulla causa esset discretionis."[1]) — Pauca addenda sunt de)domus(declinatione. Donatus quidem hoc nomen ad anomaliam pertinere docet, cum dicat IV p. 378,$_{33}$ (cf. Diom I p. 307,$_{17}$ sqq.): „Contra hanc regulam invenimus ab hac domo domorum domibus et ab hoc iugero iugerorum iugeribus. sed scire debemus multa quidem veteres aliter declinasse, ut ab hac domu harum domuum domibus, et ab hoc iugere, iugerum iugeribus,[2]) verum euphoniam in dictionibus plus interdum valere quam analogiam vel regulam praeceptorum."[3]) Tamen nonnulli grammatici hoc nomen analogiae aptare studuerunt. Satis insulse quidem Pompeius V p. 193,$_{5}$ sqq. ratiocinatur; alios casus secundum quartam, alios ad secundam declinationem flecti posse: propter dativum singularis)domui( )domibus(dici sibi persuadet ut ab)agili( )agilibus(, propter ablativum autem singularis)a domo( )domorum(ut)a docto( )doctorum(. Cuius rationis fundamentum hac sententia continetur (l. l. v. 12): „vide etiam in ipsa anomalia maiores nostros secutos rationem. anomalum est hoc nomen, id est inaequale; et tamen ipsa inaequalitas ex ratione descendit."

Apud Charisium autem p. 45,$_{18}$ sqq.)domus(quartae declinationi assignari videtur; „videtur" dico, cum codex hoc loco ita corruptus sit, ut verba genuina restituere non possim; nam Keilii lectioni assentiri minime ausim:

18. „item quorum genetivus singularis in us
19. litteras exierit, dativus ultimam u habebit.

[1]) Diomedes I p. 308,$_{1}$ per errorem etiam „tribubus" his nominibus inserit: „sed in quibusdam" inquit „necesse est u litteram retinere evitandae ambiguitatis gratia, ut partubus arcubus artubus tribubus." De re cf. Brambach, p. 112 sqq.

[2]) cf. Roman.-Charis. 134,$_{4}$ sqq.: „iuger ut tuber."

[3]) Item Probus IV 109,$_{21}$ sqq. monet huius nominis (domus) genetivum dativum vocativum singul. et nominativum vocativum dativum ablativum plural. anomale, ceteros vero casus ad sonum)cupressi(declinari.

quaecumque autem nominativo in us exeuntia genetivo plurali u geminatum ante m
19—23. habuerint, ea accusativo plurali in us terminabuntur, ut manus manuum has manus, anus anuum has anus, fluctus, luctus et cetera. ergo melius has domus quam domos. item quae in us cadentia plurali
23—25. genetivo rum ultimam habuerint, accusativo plurali os litteras ultimas habebunt, ut pinorum pinos, ficorum ficos, et cetera similiter; ac per hoc domorum domos. item us terminata, si dativo et ablativo singulari u ultimam habuerint, genetivo plurali gemi-
25—29. natum u ante m habeant necesse est, ut anus ab anu anuum, manus a manu manuum et cetera; ac per hoc domus a domu domuum, non, ut quidam putant, domorum."

Duas diversas hic sententias permixtas esse equidem coniecerim, cum illo loco unum grammaticum quartam declinationem tuentem contra alterum disputare qui secundam defendat veri sit simillimum. Ille autem quartam declinationem ita comprobat: si genetivus in us exeat, dativum in u terminari necesse esse (v. 18—19),[1] item si dativus et ablativus singularis in ⟩u⟨ desinant, genetivum pluralem per ⟩uum⟨ finiri: ut anus ab anu anuum, manus a manu manuum, ita domus a domu domuum, „non ut quidam putent domorum" (v. 25—29),[2] et propter genetivum pluralem

[1] Schottmueller in commentatione „de C. Plini Secundi libris grammaticis", Lps. 1858 p. 19 ea verba quae exstant ap. Char. p. 44,21—45,19 Palaemoni tribuit particula ⟩veluti⟨ nisus; qua ratione nihil comprobari optime demonstravit Tolkiehn, „Cominianus" p. 37, n. 1; 92, n. 2; 144, 4; p. 3 sq.

[2] cf. Quintil. I 6,30: „comparatio . . . deprehendit . . . . declinationem. ut si veniat in dubium ⟩hac domu⟨ dicendum sit an ⟩hac domo⟨ et ⟩domuum⟨ an ⟩domorum⟨, similia sint ⟩anus manus⟨."

⟩domuum⟨ etiam accusativum melius ⟩domus⟨ formandum esse, non domos, ut manus manuum manus, fluctus luctus (v. 19—23). — Alterius autem grammatici sententia quam non integre traditam esse puto, eis verbis continetur, quae exstant v. 23—25. Itaque etiamsi mihi non contigit, ut totam orationem restituerem, tamen quid sibi velit hic locus, recte me intellexisse spero.

5. quintae declinationis. Cum genetivus singularis quintae declinationis in ⟩ei⟨ exeat, grammatici compositum anomali nominis „quies quietis" ⟩requies⟨ secundum proportionem declinari annotant.[1] Priscianus autem II 242,9 utrumque genetivum simplicis, et ⟩quietis⟨ et ⟩quiei⟨ comprobat, unde etiam compositi genetivum duplicem esse posse colligit, et ⟩requietis⟨ et ⟩requiei⟨. (cf. III 446,31). — Voculam autem ⟩fides⟨ tantum propter duplicem eius intellectum genetivum quintae declinationis accipere contendunt grammatici, cum rationabilius esse dicant: fides fidis (Charis. 69,11—70,3; Exc. Bob. I 542,8—11).[2] Veteres vero syllabarum numerum respicientes genetivum huius declinationis etiam omnino aliter formavisse traduntur ap. Charis. 69,5 sqq., Diom. I 305,2, verbosius in Exc. Bob. I 547,25[3]) „Sed veteres in hac specie declinationis genetivum

[1] cf. Charis. 69,1 „. . . excepto uno nomine ⟩quies⟨, quod facit quietis. quamquam requies ab eo compositum requiei faciat sec. rationem a nobis demonstratam . . .; quod si esset genetivus requietis, requietem faceret, non requiem." Exc. Bob. I 547,34 „. . . quamquam conpositum ex eo requies servat suam regulam et requiei facit." Roman.-Char. 142,3: „Quies quietis facit . . . . quod tamen nomen iuncta praepositione in regulam redit . . ."

[2] Cf. Priscianus, quem p. 50 ex deminutione ⟩fidicula⟨ nominativum ⟩fidis⟨, non ⟩fides⟨ eruisse commemoravimus.

[3] cf. etiam Ars Anon. Bern. (An. Helv.) 133,5 sqq.

singularem similem nominativo dicebant, in quibus Cicero ⟩pernicies⟨ casu genetivo dixit ratione illa, quod, cum nominativus pluralis a genetivo singulari proficiscatur, sitque aut idem aut earundem syllabarum velut huius scholae hae scholae et huius Marci hi Marci, item genetivus sequi debet nominativum pluralem, et ideo Cicero ⟩pernicies⟨ casum genetivum extulit." — Praeterea dubitatur de genetivo pluralis, utrum in ⟩rum⟨ an in ⟩um⟨ mittendus sit. Atque Charisius p. 54,27 sq. (cf. Exc. Bob. I 555, 6 sqq.) haec nomina per ⟩rum⟨ genetivo proferri vult, ut ⟩rerum specierum facierum⟨, p. 31,16 sqq. autem (= Diom. 305,4; Exc. Bob. 547,24, i. e. Cominianus)[1] excipiuntur ex hac regula ⟩specieum materieum luxurieum⟨. Probus, Cathol. IV p. 5,18 nullius momenti esse docet, specieum an specierum dicatur, in Institutis. art. autem p. 88, 1 declinat „specierum." Tum p. 88, 4 sqq. haec tria nomina ⟩spes res fides⟨, etiamsi in nonnullis casibus ab exempli ⟩species⟨ declinatione discrepent, tamen non anomale declinari leviter et confuse ostendit, Priscianus vero II 367,14 sqq. genetivum ⟩specierum⟨ raro in usu esse,[2] a vetustissimis autem secundum analogiam adhibitum esse tradit.

„Expositis Latinorum nominum regulis Graecorum quoque tractanda est declinatio, quoniam plerumque his utimur in sermone et maxime propriis quae in usum Latinae linguae admissa sunt, ut etiam certis definienda sint regulis." Haec verba apud Phocam V 422,10 scripta videmus atque eadem de causa qua ille grammaticus, ut Graeca nomina respiciat, se impulsum esse adfirmat, ego quoque hanc materiem in iis quae mihi proposita sunt disserendis

[1] cf. p. 48 n. 1.

[2] Eodem loco Ciceronem non solum genetivum, sed etiam dativum aspernatum pro ⟩specierum⟨ ⟩formarum⟨ et pro ⟩speciebus⟨ ⟩formis⟨ posuisse commemoratur (cf. Cicero, Topica 7,30).

non praeteream. Sed difficillima est quaestio, cum non semel apud grammaticos dubitetur, utrum linguae Latinae an Graecae ratio adhibenda sit. Quod qui factum sit quo melius intellegatur, paullo altius videtur esse repetendum. Atque cum Romani a Graecis omnes fore artes liberales traditas accepissent, id quod ipsi libere confitebantur, ut ait Terentianus Maurus VI p. 336 v. 342 „Artium parens et altrix Graeca diligentia est", facile potuit fieri, ut essent, quibus litterarum Graecarum admiratione imbutis etiam lingua huius populi ad Latinum sermonem formandum permultum valuisse videretur, praesertim cum affinitatem quandam inter duas illas linguas esse appareret.[1] In eandem sententiam saepius grammaticos disputantes invenimus, velut cum auctorem Charisii p. 292,16 (= Diom. 311, 4), cui „ab omni sermone Graeco Latina lingua pendere videtur", tum Priscianum, qui non modo Romanos ad Aeolum aut Boeotorum auctoritatem haud raro se applicare pro certo habet,[2] sed etiam in omni parte orationis et constructionis analogiam Graecorum secutos esse Didymo assentit (III 408, 6). Alii vero grammatici proprietatem patrii sermonis defenderunt, id quod optime cognoscitur ex hisce verbis prooemii cap. XV l. I artis Charisii (p. 50,16): „Latinus vero sermo cum ipso homine civitatis suae natus significandis intellegundisque quae diceret, praestitit"; meminimus etiam illius loci Charisii, ubi de ⟩cymae⟨ genere agitur p. 56,11: „sed ego omnium ineptissimum duco Latino nomini Graecam etymologiam adcommodare." —

[1] Plus quam patitur veritas, de hac affinitate dicit Macrobius in libro „De differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi" V p. 599,5: „Graecae Latinaeque linguae coniunctissimam cognationem natura dedit . . ., ut propemodum qui utramvis artem didicerit, ambas noverit."

[2] II 26,19; 27,25; 40,6 al.; cf. supra p. 11, v. 26 sq.

Quae cum ita se habeant, grammaticos etiam in iis nominibus Graecis tractandis differre inter se est consentaneum, quae quamvis essent peregrina, tamen Romani iam in sucum et sanguinem verterant. Non mirum est, quod multi ea ad Graecam dumtaxat rationem direxerint, cum alii ad Latinam consuetudinem aptare studuerint. — Itaque cum supervacaneum sit singula praecepta accurate persequi, nonnullos locos afferam, quibus quam diversae sint sententiae appareat, ac primum quaedam ad rem universam spectantia, tum nominum propriorum et appellativorum aliquot exempla eligam:

1. Donatus IV p. 379,15 „meminerimus autem“ inquit „Graeca nomina ad Graecam formam melius declinari, etsi illa nonnulli ad Latinos casus conantur inflectere.“

Consentius V p. 365,12 „ubi“ inquit „similitudo est nostrae regulae, nostra sequi potius quam peregrina debemus.“

Pompei. V 146, 4: „Graecum nomen et Graece potest declinari et Latine.“

Pompei. V 197. 5 (commentatus est Serv. IV 435, 4): „ea nomina quae sunt Graeca ad regulam non pertinent, et hoc iuste. qua ratione? nomina Graeca ablativum singularem non habent“.

2. a) de propriis haec mihi videntur annotanda:

Charisius p. 53,28 = 59,17: „Haec“ inquit „cum sint Graeca, Graeca analogia declinantur, velut Crotale Crotales Crotalen, Calpe Calpes Calpen“.

Id. p. 89,24: „Sarapis Sarapidis volunt grammatici genetivo casu dici, non Sarapis, quia omnia Graecae figurae ⟩is⟨ terminata in genetivo syllaba crescere debent, ut Iris Iridis, Isis Isidis . . . Sed cum et Latine declinari possint, non est necesse consuetudinem ratione reformare, praesertim cum adsit auctoritas.“ —

Apud Charisium p. 25,31 accusativi ⟩Titanas paeanas⟨ reiciuntur, cum horum nominum numerus singularis nisi Latine non declinetur. Genetivum enim in ⟩is⟨, ablativum in ⟩e⟨, accusativum in ⟩em⟨ desinentes etiam accusativum pluralem in ⟩es⟨ finitum consequi necesse esse „ut reges leges“. — Priscianus II p. 301, 7 sqq. vocativum nominum in ⟩eus⟨ desinentium per ⟩eu⟨ ultimam syllabam proferri vult: Probo autem — inquit — et quibusdam aliis artium scriptoribus et ⟩o Penthee et o Tydee et o Ilionee⟨ posse dici secundum Latinam analogiam placuisse (cf. Prob. IV 103,14); sed ipsum eas formas in usu nunquam invenisse. Alio loco autem p. 289,14 sqq. Latinam formam vocativi videtur comprobare: „Alcaeus“ inquit „*Νήρη* pro *Νήρης* posuit et Theopompus *Χάρη* pro *Χάρης*. Latina vero proportio in a correptam vult vocativum primae declinationis . . . terminari etiam in Graecis“. — Quorum nominum disciplina cum adeo sit perturbata,[1] nonnulli grammatici prudenter ante omnia consuetudinem[2] vel euphoniam[3] sequendam esse docent.

Certam analogiam unus Priscianus in patronymicis definiendis sequitur (II 66, 6 sqq., III 482,3,14;[4]) 507,17), qui etiam a Latino nomine Turnus secundum ana-

---

[1]) Ne ipsos quidem Graecos certam rationem declinationis servavisse a Romano (Char. p. 132,25) ex his exemplis colligitur: *ἧπαρ ἦμαρ ἔαρ ὕδωρ κρέας δέπας κέρας τέρας.*

[2]) cf. Char. 84,4.

[3]) cf. Consent. V 365,18.

[4]) Prisc. III 482,3: „patronymicum Aeneades sec. analogiam. nam in as vel in es desinentia, si faciunt in *ου* genetivum Graecum, in ⟩ades⟨ faciunt patronymica . . . in uno tamen loco auctoritate poetica usus Aenides dixit . . . quasi ab Aeneus nominativo, sicut a Peleus Pelides. unde etiam poemati suo Aeneis inscripsit, quod est femininum Aeneidae, quod per synaeresin Aeniden dixit, sicut pro Peleides Pelides. ceterum secundum analogiam ab Aeneade Aeneas debebat dici.“

logiam Turnides dici posse existimat, ut Priamus Priamides (II 498,19; 511,15).

b) Non minus diversae atque incertae rationes de appellativorum Graecorum (velut poema schema glossema toreuma aenigma al.) declinatione traduntur. Atque Varro ipse duas contrarias — si Plinio fidem habere possumus[1] — regulas protulit, cum haec nomina aut secundae aut tertiae declinationis esse vellet. — Totam controversiam exponere cum mihi in animo non sit, satis habeo hosce paucos locos quibus de his voculis disseritur annotare: Prisc. II 356,20 sqq., Pompei. V 197, 8 sqq., Anecd. Helv. 109, 5 sqq., Consent. V 357,18 sqq., Frg. Bob. V 557,20 sqq. Ceterum veteres haec nomina plerumque nominativo singularis in ⟩tum⟨ syllabam mittentes secundae declinationi attribuisse accepimus apud Charisium 42,37 sqq. (= Exc. Bob. 544,36), „ut merito pluraliter haec poemata horum poematorum dicerent et his poematis.“ Per analogiam quandam ex similibus vocabulis Graecis collectam haec verba a Charisio 52,24—53,18 (cf. Prob., De nom. exc. IV 215, 5 sqq.) tertiae declinationi assignantur: „Commodius tamen“ inquit „senserunt qui toreumatum et poematum (h. e. gen. plur.) dicendum putaverunt, primum quod haec magis ad Romanum colorem videntur accedere; dein quod quaecumque nomina genetivo plurali apud Graecos per *ων* litteras terminantur, translata in Latinum *ων* in ⟩um⟨ mutant, ut *Ἑκτόρων Νεστόρων*, Hectorum Nestorum. sic ergo, cum illi dicant *ἐμβλημάτων τορευμάτων ποιημάτων*, nos recte emblematum toreumatum poematum dicimus eqs.“ — p. 53,12: „Romanus poematis refert, quamvis ratio poematibus faciat“ (cf. Roman.-Charis. p. 140, 5.) —

[1]) Roman.-Charis. 123,3; 141,29; 131,10 = G. et Sch. frg. 53; 22; 52. — Conferas quae de hac Varronis doctrina illi viri docti ad frg. 52 p. 295 editionis suae addiderint.

Reliqua nomina peregrina, quae non Graeca sunt, a grammaticis ut minoris momenti paucis absolvuntur. Priscianus quidem II p. 184, 21 sqq. barbara nomina plurima vel magis omnia pro „monoptotis“ habet, „nisi“ inquit „si ea ad Graecam vel nostram regulam vel ab auctoribus flexa inveniamus“ (cf. Prisc. II p. 148, 9 sqq.). Consentius autem V p. 364, 6 sqq. omne nomen peregrinum, siquidem receptum sit, ad eius nominis Latini similitudinem declinari proponit, cui proximum sit: „ut puta“ inquit l. l v. 11 „nominativo ⟩hic acinacis⟨, simile huic video esse ⟩hic Tiberis⟨; item nominativo ⟩hic manus⟨, simile huic video esse ⟩hic Marcus⟨; item nominativo ⟩hic tubur⟨, simile huic video esse ⟩hic augur⟨ eqs.“ (cf. supra p. 36).

De adiectivis.

Positivi gradus nominativus aut ex aliorum positivis similiter formatis aut ex ipsius adiectivi comparatione, i. e. ex superlativo vel comparativo, aut ex declinatione ipsius positivi colligitur. — Ac id quod primo loco posuimus, exstat apud Charisium p. 73,21, ubi „eboreum“ ratione dicendum esse discimus, sicut marmoreum a marmore et pumiceum a pumice. Satis neglegenter hac similitudinis ratione utitur Albinus Magister VII p. 298,14, qui „benivolus benificus“ et malivolus malificus“ per i litteram scribenda esse censet ut „a pace pacificus.“[1]) Itaque non miramur veteres quaesivisse, cur a nominibus simillimis „caper et aper“ „caprina et apruna“ dissimiliter in usu proferrentur (cf. Char. 83,13); et grammaticus quidem, qui hanc quaestionem posuit, etiam utrumque adiectivum per i scribi necesse esse respondet. „Nuperus“ positivus, qui ab adverbio „nuper“ ducitur, ex alio positivo „superus“ similiter a „super“ derivato colligitur (Prisc. II 96, 5): nam sicut super superus,

[1]) cf. Brambach p. 179 sq.

ita nuper nuperus recte dicendum esse. — A nomine proprio Turnus ut possessivum rite nascatur, a Prisciano (III 511,14 et 498,18) simile nomen Saturnus in medium profertur: „quomodo“ inquit „Saturnus Saturnius, sic debet etiam esse Turnus Turnius.“ — Duplici ratione apud Priscianum neutrum genus positivi „hoc dite“ indagatur, atque II p. 249, 6 sqq. ita colligere videtur grammaticus: nominativo masculini generis „hic dis — ditis“ simile esse Samnis—Samnitis; itaque cum apud Naevium „hoc Samnite“ inveniatur, similiter etiam „hoc dite“ dicendum esse. Item ratiocinatur II p. 338, 2, addit autem: „hoc dite, unde pluraliter haec ditia.“ Sed alio loco II p. 248,16 nominativo pluralis numeri usus rectum casum deprehendere videtur: „hi et hae dites“ inquit „et haec ditia, cuius nominativum singularem in usu non inveni. debet tamen secundum analogiam „hoc dite“ esse. nam in)is(finiri neutrum non potest.“ Prorsus diversa ratione utitur Priscianus II p. 586,26 sqq., ubi non masculino neutrum, sed neutro genere positivi formam masculini generis comprobat: „duo tantum“ inquit „inveniuntur communia, nostras et vestras, quorum perfecta nostratis erant et vestratis. itaque neutrum quoque eorum in e finitur, nostrate vestrate, ex quo ostenditur illorum quoque nominativus in)tis(secundum analogiam a vetustissimis prolatus esse.“ Hic quoque Priscianum, sicut in explicandis formis nominis „Anio“, de qua re vide p. 48, eodem revolvi apparet, cum a masculino)nostratis(neutrum)nostrate(recte formatum esse doceat, ex neutri autem forma)nostrate(masculinum)nostratis(secundum analogiam dici coniciat. — Unius adiectivi positivus non propter similitudinem formae, sed potius significationis aliis adaequari videtur apud Charisium p. 72,19: „Russeum“ inquit „grammatici non magis dicendum putant quam albeum aut prasineum, sed russum, ut album prasinum.“

Praeter positivos aliorum similium nominum imprimis superlativi—rarius comparativi—conferuntur: „Utile est“ ait auctor Explanationum in Donatum IV p. 491,24 „formas istas superlativi cognoscere: incidunt enim aliqua nomina in dubitationem et hinc solvuntur.“ Hanc rationem adhibitam invenies apud Priscianum II p. 264,14, ubi)veter(positivum analogum esse ostendit; „quod (veter pro vetus) Capro quoque“ inquit „prudentissime videtur, cum comparativus veterior et superlativus veterrimus[1]))veter(desiderent positivum.“

In Probi Inst. art. IV quare taeter, non taetrus (p. 59,36 sqq.) et acer, non acris (64, 3 sqq.) dicatur, quaeritur; ex superlativis in)rimus(terminatis, quae verbis quibusdam Ciceronis et Vergilii confirmantur, positivi taeter et acer eruuntur. Utroque loco eadem praecepta iisdem fere verbis fusius exponuntur; primo loco etiam)nigerrimus niger(exempli instar adicitur. — Acer an acris dicendum sit, etiam ab aliis grammaticis disputatur, ac nonnunquam acer et alacer componuntur ut similia adiectiva, velut ab auctore Fragmenti Bobiensis, qui V p. 559,25 melius,)immo rectius(quam hic alacris hic alacer et haec alacris ut hic acer et haec acris dici profitetur, quibus formis bene aptentur neutra hoc acre et hoc alacre, sicut campester—is—e, equester—is—e; tum vero etiam ad superlativi normam positivum directurus)alacer(voculam non respicit, sed tantum nominativum)hic acer(constituit: „acerrimus acer ut nigerrimus niger, asperrimus asper, pauperrimus pauper.“ Etiam auctor Explanationum quaerens quomodo acer et alacer exire debeant (IV 491,23; 28), postea cum rationes suas proponit, hanc vocem praeterit silentio; positivum

---

[1]) cf. Prisc. II p. 97,6: „veterrimus quasi a veter positivo, quod Capri quoque approbat auctoritas et usus antiquissimorum.“

›acer‹ autem ut ceteri grammatici superlativi definit auxilio (p. 491,$_{31}$): „nam cum dicas“ inquit „acerrimus, quid habet remanere nisi acer? quaedam necessitas est, quae nos coartet ad verum sermonem“. Apud Charisium p. 82,$_{22}$ masculino quidem genere ›acer‹ secundum analogiam dicendum esse conceditur, sed ex hac forma ut adiectivi qualitatis per ›er‹ syllabam terminati[1]) feminimum ›acra‹ et neutrum ›acrum‹ nasci necesse esse contenditur;[2]) itaque propter euphoniam melius dici ›hic et haec acris‹: „ex hac enim forma“ — inquit grammaticus — „descendit neutrum quod est acre, ut hic et haec agilis et hoc agile, hic et haec facilis et hoc facile“; eadem ratione adiectiva ›alacer‹ et ›paluster‹ tractari vult. — Plinium denique refert Romanus apud Charisium p. 114,$_{1}$ positivum ›alacer‹ contra consuetudinem[3]) reiecisse, quia non „superlationem caperet ut acer acerrimus“.

Praeter comparationis gradus etiam obliquis casibus positivi grammaticos ad nominativum definiendum usos esse iam supra dixi; ac primum quidem illa adiectiva notanda sunt, quorum nominativi ex genetivis secundum illam numeri syllabarum rationem constituuntur, de qua iam satis multa verba fecimus (cf. p. 46 sq. et p. 53); sunt autem composita a nomine caput derivata, velut anceps biceps triceps praeceps[4]), de

---

[1]) cf. Char. 82,$_{19}$: „item ›er‹ syllaba terminata, si in qualitate fuerint, per omnia genera mutari debent, ut piger pigra pigrum, niger nigra nigrum.“

[2]) cf. Caper VII 94,$_{6}$: „Acer inermus infirmus faciunt pluraliter acri inermi infirmi. at acris inermis infirmis in plurali numero faciunt acres . .,“ et Beda VII 264,$_{7}$: „Acer facit pluralem acri, acris pluralem acres.“

[3]) „Alacris, licet consuetudo . . alacer dicat, ut equester ordo. nam et haec alacria ut equestria possunt neutro dici.“

[4]) De declinatione adiectivorum in „ceps“ desinentium cf. Prisc. II 352,$_{15}$ sqq. et Augustin. V 502,$_{35}$ sqq.

quibus conferas Charis. 47,$_{29}$; 88,$_{11}$; Roman. 120,$_{14}$; 144,$_{14}$;[1]) Prisc. II 325, $_{5}$ sq.[2]) Equidem satis habeo exempli causa duos reddere locos: Charisius p. 88,$_{10}$ „Non debet“ inquit „duabus syllabis plus crescere a nominativo genetivus. quam rationem ut custodirent veteres,[3]) multa dure protulerunt, ut ancipes pro anceps et praecipes pro praeceps“ (cf. not. 1) et Priscianus l. l. „. . . anceps“ inquit „ancipitis, biceps bicipitis . ., quae veteres in ›es‹ proferentes secundum regulam declinabant: ancipes ancipitis, bicipes bicipitis sicut hospes hospitis sospes sospitis.“ — Ex ablativo singularis apud Roman.-Charis. p. 135,$_{30}$ „lacer“ nominativus colligitur, ut ›tener puer‹: „ultimam enim“ inquit „vocalem si ablativus amiserit, dabit scire, qualis esse debeat nominativus. Ovidius ›mille lacer spargere locis‹, quod ita dici debere et Caesar de analogia libro II nec non et Valgius de rebus per epistulam quaesitis disputant.“ Eadem via et ratione Plinius (Roman.-Char. 136,$_{22}$) nominativum „mugil“ definit: „Mugil an mugilis? Plinius eodem libro VI „hic mugil“ inquit „ut pugil et vigil. ablativo enim singulari detracta postrema vocali qualem

---

[1]) Roman. 144,$_{14}$: „Supellex. quosdam nominativo haec supellectilis posse dici temptasse rettulerunt, ne genetivus duabus syllabis cresceret. sed necdum nobis idoneum proin loquentis occurrit exemplum. velut ancipes et praecipes, quod vetustas ›cum ratione‹ rancidum protulit.“

[2]) His locis addas Charis. p. 48,$_{17}$ (cf. Exc. Bob. 546,$_{6}$) ubi haec adiectiva cum substantivis, de quibus iam egimus, velut iter itiner, iecur iocinus, supellex supellectilis componuntur. Melius autem et plenius hunc locum in Excerptis Cauchianis (Gr. L. I p. 607) traditum esse existimo, sed emendare eum non prius audebo, quam de Excerptis Cauchianis certiora acceperimus.

[3]) Ceteris quoque locis semper „veteres“ laudantur qui hanc rationem servaverint, apud Charisium autem p. 47,$_{29}$ grammaticus quidam ipse hanc analogiam tuetur: „. . . unde mihi videtur non supellex sed supellectilis esse dicendum, et ancipes ancipitis quam anceps.“

oporteat nominativum singularem esse dinosces, ut ab hoc consule". [1]) Pag. 107, 6 autem apud Charisium idem grammaticus nominativum ›mugil‹ genetivo pluralis ›mugilum‹ respecto deprehendit: „Mugil" inquit „nominativo casu dici debet, ut vigil et pugil,[2]) et facit genetivo plurali mugilum. si enim esset hic mugilis, etiam mugilium in plurali genetivo faceret, ut sterilis et fertilis faciunt sterilium et fertilium." (cf. l. s. l. Roman. p. 136,24: „mugilum an mugilium? ut vigilum et pugilum, mugilum quoque dici putato."). —

Obliqui casus adiectivorum positivi gradus quomodo ex analogia pendeant, paucis potest absolvi.

Adiectivorum per r litteram finitorum quae secundae declinationi pareant, ex feminino quod in a exit, cognoscitur, velut „satur—satura" (Prisc. II 237,22; Phocas V 416,22).[3])

Etiam ›sequester‹ a Prisciano II 223,20 (cf. III 444,12) contra usum loquendi huic declinationi attribuitur, quia „st" habeat ante „er" ut Auster Austri . . ., et quia in a faciat femininum, laudaturque Plautus, qui secundum analogiam ›sequestro‹ dixerit.[4]) — Sicut

[1]) Ultima verba huius loci, quae in codice corrupta Keil ita restituit: „propterea itaque ablativum singularem non i sed e littera terminari" ad sententiam, quae antecedit, minime videntur quadrare.

[2]) De his adiectivis, vigil et pugil, conferas Consent. V 355,25, de quo loco iam supra p. 15 n. 1. diximus.

[3]) cf. vero Charis. p. 183, 7: „notabimus autem" inquit „satur nomen inter ea esse quae ad analogiam non pertinent, cum cetera ›ur‹ litteris terminata in genetivo casu ›is‹ finiantur, ut turtur—uris, murmur—uris."

[4]) Ridiculum vero est, quod Priscianus etiam substantivorum declinationem hoc modo definire ausus sit (II 232, 8): „liber quoque" inquit „excipitur ›libri‹, ›fiber fibri‹, quae etiam rationabiliter videntur esse secundae declinationis. habent enim feminina in a desinentia . . . . ›libra et fibra‹"; sed cum ipse ratiocinationem suam prorsus ineptam esse suspicari videatur, caute haec adicit: „quantum ad vocem . . ., quamvis non sint eiusdem significationis."

in illis adiectivis in ›ceps‹ terminatis nominativus ex genetivo derivatur, ita etiam genetivus nonnunquam nominativi analogiam sequitur; velut a Prisciano II p. 280,15 antiquos, cum nominativum ›ancipes . . . .‹ proferrent, genetivum secundum analogiam „ancipes ancipitis" ut „sospes sospitis" servavisse accepimus, paucis versibus autem post p. 281, 2 iidem vetustissimi laudantur, qui a nominativo ›praeceps‹ secundum analogiam genetivum ›praecipis‹ protulerint. — Accusativum pluralis masculini generis Charisius p. 149,16 contra consuetudinem in ›is‹ terminari vult, ut iuxta regulam formatus sit ›agilis‹ — sicut omnis homines. — Neutri generis adiectivorum nominativus pluralis apud Charisium p. 60,7 ex ablativo singularis colligitur, qui cum in i exeat, etiam nominativum pluralem in ›ia‹ desinentem efficiat; ›vetera‹ autem, non ›veteria‹ dicendum esse, cum ablativus in ›e‹ exeat.[1]) Eadem de causa eodem loco (cf. not. 1) etiam comparativorum nominativi neutri generis in ›a‹ finiti comprobantur; accedit, ut gradus comparativus i litteram ablativo singularis recipere omnino non debeat. Hac doctrina etiam Julius Modestus nititur apud Charisium p. 73,12: „Plurum Modestus putat esse dicendum, non plurium cum i. ea enim nomina quae conparandi sunt, genetivo i habere non debent, ut fortiores fortiorum, meliores meliorum; sic plures horum plurum." Similia ad eundem Julium Modestum praeter genetivum ›complurum‹ etiam nominativum ›complura‹ comprobantem referuntur a Plinio apud Roman.-Charis. p. 125, 3 (cf. Brambach

[1]) Desideratur hoc loco disserendi elegantia (p. 60, 8): „. . . ab hoc torali haec toralia et ab hoc facili haec facilia. u n d e manifestum fit vetera dici, non veteria, et maiora, non maioria, et plura, non pluria . . . quorum ablativus non in i terminatur, sed in e"; ac vero miramur v. 13 ablativum singul. a genetivo plural derivari.

p. 125); sed hic locus mihi videtur esse corruptus (cf. annot. critic. Keilii). — Ceterum de forma comparativi nihil fere dicendum est, nisi vero hoc dignum putas quod commemoretur grammaticos praecipere, ut in regularibus adiectivis comparativus positivi genetivum una syllaba vincat (cf. Prisc. II 87, 3); hanc causam fuisse existimo, cur Prisciano paullo ante II p. 86,19 comparativus ⟩sinisterior⟨ a genetivo ⟩sinisteri⟨ non sinistri, cum hic esset in usu, derivatus esse videretur.

Superlativi terminatio quomodo formanda sit, plerumque ex positivis similibus collatis diiudicatur; velut „celer celerior" inquit Charisius p. 83,21 „celerrimus facit, ut asper asperior asperrimus, acer acrior acerrimus et pulcher pulchrior pulcherrimus, nam quod Ennius dicit ⟩celerissimus⟨ barbarismus est."[1]) — Priscianus II p. 95,12 superlativum ⟩maturrimus⟨ a positivo inusitato ⟩matur⟨ secundum analogiam in ⟩er⟨ terminantium, superlativum ⟩maturissimus⟨ a positivo maturus secundum analogiam in ⟩us⟨ desinentium nasci profitetur;[2]) superlativos ⟩celeberrimus⟨ autem et ⟩saluberrimus⟨ idem grammaticus II 96,15 sqq. primum quasi exceptos annotat, quippe qui ad positivos ⟩celebris et salubris⟨ pertineant; sed cum apud Ovidium etiam formae ⟩saluber et celeber⟨ exstent, eas „magis secundum analogiam in er terminantium facere superlativum" iudicat. — Quid autem sibi velit illa sententia Prisciani (II 99,14), quae primo aspectu puerilis mihi visa est: „in ⟩simus⟨ etiam unum

[1]) cf. Plinius ap. Roman.-Charis. p. 114,7 (Exc. Bob. 556,24): „sed et omnia nomina quae per ⟩er⟨ terminantur in superlationibus sic proferuntur, velut pulcher pulcherrimus, non pulcherissimus; item acer acerrimus, non acerissimus et cetera."

[2]) Charisius autem p. 114,14 (cf. Exc. Bob. p. 556,31) unum superlativum recipi velle videtur; ait enim: , invenimus tamen apud auctores etiam („tantum" Exc.) maturrime adverbialiter, cum debeat ⟩maturissime⟨."

anomalum invenitur, pessimus. nam novissimus secundum analogiam[1]) a novo factum" — bene explicat J. Tolkiehn, Cominianus, p. 133, not. 2, vestigia premens Jeepii (Redeteile, p. 155, not. 2), cum veri esse simillimum dicit Priscianum his verbis contendere contra eos qui ⟩novissimus⟨ quasi ⟩extremus⟨ intellexerint[2]) ut superlativum tamquam ⟩absolutum⟨, qui ceteris gradibus careret: Charis. 156,34; Exc. Bob. 536,36; Dosith. VII 400, 2; Diomed. I 324,37;[3]) Donat. IV 374,23; Pomp. V 154,19; Cons. V 342,13.

Praeterea in comparatione secundum Servii praeceptum (IV 431, 4) prima syllaba respicienda est: „recta" inquit „comparatio est quae primam syllabam integram per omnes gradus servat, ut doctus doctior doctissimus. si autem integram non servat, inaequalia efficit nomina, quae sunt tantum tria: bonus malus magnus"; Scaurus vero VII p. 24,20 formam ⟩maximus⟨ ex analoga ⟩magnissimus⟨ corruptam esse docet (cf. Brambach, l. l. p. 110), et in Arte Anon. Bern. (An. Helv. 77,14) etiam ⟩magnior magnissimus, bonior bonissimus, malior malissimus, modicior modicissimus⟨ finguntur ut „voces aequales et convenientes".[4])

De numeralibus.

Numeralia raro a grammaticis ad certam analogiam referuntur. Unum vel duo exempla inveni apud Priscianum, qui III p. 413, 3 ordinalia com-

[1]) Verba ⟩secundum analogiam⟨ in codice P. omissa uncis inclusit Hertz; ego ea tenenda esse censuerim ut bene opposita antecedenti verbo ⟩anomalum⟨.

[2]) Quando huic voci ⟩novissimus⟨ significatio ⟩extremus⟨ imponi coepta sit, accepimus a Varrone de l. L. VI § 59 (cf. Gellius, X 21, 2). — De significatu adverbii ⟩novissime⟨ cf. Charis. p. 207,30.

[3]) Hos primos quattuor locos optime interpretatus est Joannes Tolkiehn l. l.

[4]) Addit autem grammaticus: „hoc ars non permittit; nam euphoniae ratio inaequalitatem deposcit."

parat cum cardinalibus: „ex his“ inquit „nascuntur ordinalia nomina haec, inaequaliter quidem, quantum ad vocem unius et duorum, primus et secundus, ⟩aequaliter⟨ vero tertius quartus quintus . . . duodecimus“, et similiter p. 415,17 adverbia semel et bis inaequalia, cetera ⟩aequalia⟨ appellat. — De obliquis casibus ordinalium cum nihil sit dubium, de cardinalium declinatione paucis disseramus; quaeritur imprimis de obliquis casibus numeri ⟩duo⟨, qua cum voce semper coniungitur simile nomen ⟩ambo⟨. A Romano apud Charis. p. 119, 9 accepimus Helenium Acronem contra Verrium contendisse, qui accusativum in o desinentem protulisset, ⟩duo et ambo⟨; regulam autem esse, ut ⟩ambos et duos⟨ dicatur, „cum omnis accusativus numeri pluralis exceptis neutralibus et monoptotis s littera finiri debeat.“ Praeterea etiam feminini generis accusativis ⟩ambas et duas⟨ hae formae definiuntur ibid. p. 119,22: nam ut ⟩doctas doctos et pictas pictos⟨ sic ⟩ambas ambos et duas duos⟨ dicendum esse. Eandem doctrinam habemus apud Charisium p. 65,16 sqq.; exempla sunt ⟩doctas—doctos et magnas—magnos⟨. Verbose, sed omnino confuse et incondite, de hac re etiam agit Pompeius (V p. 165,15 sqq.), nugator ille ridiculus. Primum p. 165,35 — 166, 2 dativum ⟩his duis⟨ esse oportere colligit ex genetivo duorum, ut ⟩tectorum tectis⟨; deinde item propter genetivum ut ⟩doctorum doctos⟨ etiam duos dicendum esse ostendit; sed cum et ⟩ambo et duo⟨ aliquotiens inveniatur, etiam has formas proferri concedit (166, 6—10): „siqui dicat tibi ⟩quare dicimus duo et duos et ambo et ambos⟨? haec causa est, nec illud verum est nec illud, et quoniam nec illud verum est nec illud, utrumque recte. et in iure sic est: quotienscumque utraque regula infirmatur, utraque recipitur!“ Tum iterum dativum ⟩his duis⟨ ex accusativo ⟩duos⟨ derivat ut a ⟩claros claris, a doctos doctis⟨. Sed duis dici non posse affirmat,

itaque nonnullos ⟩hos duo⟨ dixisse tradit, ut dativus quamvis immutatus tamen recte enuntiaretur, sicut hos octo his octo; an quemquam dicere his octibus? Mira quadam declinationis ratione idem grammaticus p. 185,16 sqq. ⟩mille⟨ per duo e scribendum esse comprobare studet: mile[1]) enim numeri singularis esse, unde veniat pluralis ⟩haec milia⟨,[2]) ideoque declinandum esse ⟩hoc mile huius milis huic mili⟨ eqs; cum talis declinatio non inveniatur, mille per duo e proferendum esse, quod indeclinabile sit, ⟩hoc mille⟨; cf. Brambach p. 260 sq.

De pronominibus.

Pronominis personalis tertiae personae genetivum secundum analogiam ⟩sui vel sis⟨[3]) esse ut mei vel mis,[4]) tui vel tis, a Prisciano III p. 2,28 exponitur; item p. 198,20 ⟩sui⟨ rectum genetivum pronominis personalis esse similitudine declinationis aliorum comprobatur: „mei tui sui, mihi tibi sibi, me te se, a me a te a se.“ Servius autem IV 436,11 sqq. discernit genetivos pronominis personalis et possessivi, quamvis similiter proferantur: sui. Nam si etiam illud a nominativo ⟩suus⟨ veniret, dativum ⟩suo⟨, non ⟩sibi⟨ esse oportere censet. — Pauca commemoranda sunt de declinatione pronominis possessivi ⟩meus⟨; veteres enim laudantur (Charis. 159,17, Exc. Bob. 561, 4; Diom. 331,13; Dosith. VII 404,25), qui nomina-

[1]) cf. Consentius V p. 392,7: „per detractionem fiunt barbarismi sic: litterae, ut siquis dicat vilam pro villam, mile pro mille.“

[2]) cf. Papirian. ap. Cassiod. VII 166,7: „Mille numerus a quibusdam per unum l scribitur, quia milia dicamus, non millia; alii melius per duo l existimant scribendum.“

[3]) ⟩Sis⟨ autem inusitatum esse addit Priscianus, ne verbum putetur esse.

[4]) Cled. V 14,24: „⟩mis⟨ omnino in usu non est.“

tivum ⟩mius⟨ servaverint, ad quem optime quadret vocativus[1]) ⟩o mi⟨: „veteres“ inquit Charisius l. l. „mius dicebant, ut merito et vocativus secundum regulam manserit, ut sit ⟩o mi⟨. nam omnia quae nominativo ante ⟩us⟨ novissimam syllabam i habent, vocativo i terminantur, velut hic Sallustius o Sallusti, hic Horatius o Horati, hic Lucilius o Lucili,[2]) sic et mius o mi.“ Priscianus autem III p. 11,5 vocativum ⟩mi⟨ solum propter euphoniam admissum esse docet, cum secundum regulam ⟩o mee⟨ esse debeat. — De pronominis demonstrativi ⟩idem⟨ declinatione Caesarem in libro II „de analogia“ egisse accepimus a Charisio p. 110,23 (cf. Schlitte, l. l. frg. XXV): „Is homo ⟩idem⟨ compositum facit ⟩tam singulariter quam pluraliter⟨[3], nisi quia Caesar libro II singulariter idem, pluraliter isdem dicendum confirmat. sed consuetudo hoc non servat.“[4]) Scaurus veteres etiam simplicis pronominis

[1]) Nonnunquam etiam pronominibus personalibus aliisque vocativus a grammaticis additur, quae ratio apud Charisium 158,11 (= Exc. Bob. I 557,25; Diom. 330,4; Dosith. VII 402,17) hoc modo comprobatur: „sed nos nondum (non dum Exc. Diom. Dosith.) refragamur rationi vocativum adicientes (adiecimus Exc. Diom. Dosith.), sed quoniam contextum declinationis habere voluimus, instruendi gratia fecimus mentionem.“ (voluimus, inseruimus Exc. Diom Dosith.)

[2]) Exempla in Exc. Bob. sunt „o Salusti et o Horati“, apud Dosith. „o Salusti“, desiderantur omnino ap. Diomedem. His locis etiam adicias Charis. p. 111,13, qui „denique“ inquit „in omnibus fere comoediis ⟩mi⟨ ad masculinum dicitur, ad femininum numquam“ et Roman.-Charis. p. 136,15: „⟩femininum ⟩mea⟨ ut Helena declinatur⟨ inquit Scaurus . . . additque quia vocativus singularis generis masculini multos dissidentes etiam nunc generat, o mi an o meus facere debeat.“

[3]) Haec verba inseruit Keil.

[4]) cf. Prisc. II 590,1: „regula“ inquit „exigit per duas i vel per e et i tam nominativum plural. masculini quam dativos et ablativos omnium plurales scribi, id est iidem vel eidem et iisdem vel eisdem.“

⟩is⟨ nominativum pluralem ⟩is⟨ et accusativum singularis ⟩im⟨ dixisse tradit ap. Roman.-Char. 133,1.[1]) Pronominis ⟩ipse⟨ neutrum genus ⟩ipsum⟨ per m scribi, non per d ut istud illud grammatici ideo putant, quod veteres (historia!) ⟩ipsus⟨ pro ⟩ipse⟨ dixerint:[2]) Charis: 158,17; Exc. Bob. 558,8; Dosith. VII 403,6; Diom. I 330,22; Augustin. V 507,35 sqq.; Frg. Bob. V 565,26; Beda VII 275,18; Albin. Magist. VII 304,2. In arte Palaemonis autem V p. 541,32 sqq. historia quam conexa sit cum analogia, quo facilius intellegatur, liceat mihi primariam huius loci sententiam exscribere, v. 38: „et quo modo in regula nominum omnia, quae in masculino genere ⟩us⟨ habent, nominativo singulari in feminino a habent, in neutro um ut doctus—a—um . . ., sic ex nominum regula emanavit analogia, ut ab hoc pronomine, ut puta quia ipsus dicebant antiqui, fiat in feminino ipsa, in neutro ipsum, quo modo dicimus de nomine iustus iusta iustum.“ — De pronominis relativi vel interrogativi ⟩qui, quis⟨ declinatione saepissime et accurate a grammaticis tractatur, quod nonnulli casus obliqui duplices formas praestabant, velut ablativus singul. ⟩a qui et a quo⟨, nominativus plural. ⟩qui et ques⟨, dativus et ablativus plural. ⟩quis et quibus⟨. Apud Charisium p. 91,11 sqq. dativus duplex pluralis ex nominativis eiusdem numeri ⟩qui et ques⟨ colligitur: „qui quis“ inquit „ut di dis,

[1]) Sed hic locus plane corruptus mihi videtur: „Im pro eum. nam ita Scaurus in arte grammatica disputavit antiquos ⟩im ques hunc eundem⟨ (??) significare consuesse et declinari ita, is eius eum vel im eqs.“ Valde miror, quod Kummrow („Symbol. critic. ad grammat. Latin.“ diss. Gryphiswald. 1880, p. 6, frg 19) et Neue (Formenlehre II[3] p. 380) hanc sententiam immutatam nullo verbo adiecto receperint.

[2]) Uno loco Prisciani III 7,1 haec declinationis ratio in dubium vocatur: „illa enim quae quibusdam visa est ratio, non adeo firma videtur, ideo in ⟩um⟨ facere neutrum, quia in ⟩us⟨ desinit masculinum: nam alius, cum in ⟩us⟨ terminetur, neutrum tamen ⟩aliud⟨ facit.“

coloni colonis, ques quibus ut duces ducibus, mores moribus"; idem p. 158,21 sqq. (cf. Dosith. VII 403,14; Exc. Bob. I 558,14) „veteres" inquit „nominativum pluralem ⟩quis⟨ dixerunt regulam secuti: unde etiam dativus mansit in consuetudine. nam dicimus quibus pro quis; et quis nonnunquam dicimus;"[1]) cf. ib. 159, 7: „antiqui aliques (Exc. Bob. 559,41 „aliquis") dicebant, unde mansit aliquibus." Alii grammatici dativos pluralis ab ablativis singularis derivant: Serv. IV 410,37 sqq. (exempla: a docto—doctis, a puppi—puppibus); Explanat. in Don. IV 502, 5 sqq. („et consequens fuerat ut geminum faceret dativum pluralem qui ablativum singularem iam geminum fecerat, a quo vel a qui");[2]) Cledon. V 15,19, (exempla: doctis, nobilibus); Pomp. V 208,21 sqq. (expl.: doctis;[3]) dativus in ⟩bus⟨ desinens exemplo non probatur); Palaemon V p. 541,20; Augustin. V 508, 1 sqq. (exempla: „a iusto—iustis, a docto doctis, a perfecto perfectis, a fortunato fortunatis);[4]) ratiocinatio similis, sed paullum confusa exstat in Fragmento Bobiensi V p. 565,30 sqq. — Priscianus denique III 9, 4 satis habet annotasse veteres hoc pronomen tam secundum tertiam quam secundam declinationem

---

[1]) cf. Prisc. III 9,19: „nam dativum et ablativum n u n c q u o q u e per is quam per bus proferimus, ⟩quis vel quibus⟨."

[2]) Nominativus quoque pluralis ab ablativo singul. ducitur, v. 15: „et necesse erat ita dicere ⟩ques⟨, nam ablativus singularis i littera terminatus nominativum pluralem in ⟩es⟨ mittit."

[3]) Addit Pompeius ablativo plurali ⟩a quibus⟨ nominativum ⟩ques⟨ respondere necesse esse, qui ab ablativo singul. secundum regulam veniat, ut a puppi puppes, agili—es . . ."

[4]) Dativus in ⟩bus⟨ desinens sicut apud Pompeium exemplis non illustratur; sed ablativus singularis ⟩a qui⟨ nominativo singul. ⟩quis⟨ declaratur v. 13: „quo modo in nominibus hic et haec facilis, sic in pronominibus hic et haec quis, ab hoc et ab hac qui." Miram autem Augustinus l. l. exhibet declinationem: ablativum plur. omnium generum in ⟩bus⟨ mittit (a quibus), dativ. plur. masc. generis et in ⟩bus⟨ et in ⟩is⟨ (quis et quibus), dativ. plur. feminini generis tantum in ⟩bus⟨, neutri vero in ⟩is⟨ (quis; adserit autem: „iam secundum usum ⟩quibus⟨ dicimus.").

terminavisse. — Restat ut de nonnullis voculis dicam, quae a grammaticis nonnunquam in ordine nominum posita[1]) nos ⟩pronominalia⟨ appellare solemus, ut unus solus totus ullus uter neuter al. Quae a veteribus saepius tota secundae declinationi regulari attributa esse praeteream;[2]) plerumque enim genetivo in ⟩ius⟨, dativo in ⟩i⟨ exeunt.[3]) Itaque Augustinus V p. 508,39 sqq. genetivum ⟩neutri⟨ refutat: „iam usus" inquit „arripuit, ut dicamus generis neutri, cum dicere debeamus generis neutrius, quo modo utrius.[4]) — Propter dativum ⟩alii⟨ Priscianus II p. 303,16 sq. genetivum ⟩aliius⟨ fingit:[5]) „omnis enim genetivus," inquit l. l. v. 14, „in ⟩ius⟨ desinens una vult syllaba superare suum dativum, ille illius illi, ipse ipsius ipsi . . ." Eodem praecepto usus Priscianus III 9,26 sqq. dativos ⟩huic cui ei⟨ monosyllabos comprobat,[6]) et ex iis secundum analogiam in ⟩ius⟨ terminantium dativos pluralis littera s adiecta confirmat: ei—eis vel iis; cui—quis; huic („in quo c per adiectionem differentiae accedat") — his!

---

[1]) cf. Jeep, Redeteile p. 178 sq.

[2]) Probus, Inst. art. IV p. 101,20 sqq. ⟩unus ullus nullus solus⟨ et p. 105,23 sqq. ⟩alius⟨ in genetivo et dativo anomale propter structuras, in ceteris vero casibus ad sonum ⟩tauri⟨ aut ⟩Sempronii⟨ declinari annotat.

[3]) cf. Charis. p 158,25 sqq. — Unam regulam Prisciani expromam quae fortasse ad analogiam pertineat, II 197,9: „et sciendum" inquit „quod, quotiens superiora masculina in i desinunt in genetivo et in o ain dtivo — hoc enim quoque rarior habet usus et vetustior — necessario feminina in ae diphthongum supra dictos terminant casus."

[4]) Compositum igitur simplici verbo determinatur.

[5]) cf. Prisc. III 8, 2.

[6]) cf. Prisc. II 303,26: „⟩ei⟨ quoque cum rationabiliter monosyllabum esse deberet, cum genetivus ⟩eius⟨ sit disyllabus, per diaeresin a poetis proferri invenitur differentiae causa, ne si monosyllabum sit, interiectio esse putetur."

De adverbiis.

Discernunt grammatici adverbia primitiva et derivativa, quae a nominibus derivantur. „Et primitiva quidem“ inquit Priscianus III p. 65,$_{14}$ „uniformia sunt nec regulam aliquam a similitudine vel collatione aliorum possunt accipere, ut ⟩cras cur heus sic nempe⟨; derivativa vero, quae sub aliqua certa proferuntur forma, inter sese adhibita collatione rationem plerumque regulae possunt accipere pro similitudine terminationum“.[1]) Attamen apud Roman.-Charis. p. 216,$_{31}$ primitivum adverbium ⟩rursum⟨ [2]) cum altero ⟩iterum⟨ comparatur atque inde determinatur; sed etiam hic similitudinem significationis ad formam proferendam valuisse existimo.[3]) — Alterum genus adverbiorum saepissime a dativo adiectivorum derivatur: [4]) Atque cum dativus in o exit, adverbium in e mittitur, cum in i, adverbium per ter finitur. Huic disciplinae Priscianus III 77,$_{12}$, ut exemplum afferam, etiam adverbium ⟩aliter⟨ subicit: „aliter quoque“ inquit „ab eo, quod est hic alis huius alis huic ali pro alius alius alii, secundum supra dictam (cf. p. 76,$_{22}$) analogiam“, et eadem ratione Pompeius V p. 245,$_{20}$ sqq. ⟩faciliter et difficiliter⟨ adverbia legitima esse comprobat, ut agili—agiliter, docili—dociliter; ⟩facile⟨ enim et ⟩difficile⟨ Servium secutus (cf. IV 438,$_{28}$) nomina esse contendit. Reicitur etiam adverbium ⟩difficulter⟨, ac primum quidem propter simplicis formam, V 246,$_{1}$: „. . . si dixeris difficulter“ inquit Pompeius

1) Similiter de hac re agit Pompeius V 241,$_{30}$ sqq.

2) cf. Prisc III 75,$_{14}$: „In um primitiva pauca sunt ⟩iterum, sursum, rursum et rursus, prorsum et prorsus⟨.“

3) „Rursus negant dici debere, sed rursum, ut iterum.“

4) Augustinus autem V p. 516,$_{33}$ ablativi exitum observat, qui plerumque similis est dativi.

„cogo te dicere faculter; [1]) si autem dicis faciliter, necesse habes difficiliter; altera res confirmatur de altera re, quoniam inde utique originem sumunt“; deinde autem etiam dativi regula adhibetur, p. 246,$_{10}$: „numquid esse potest iam ista ratio, si dixeris difficulter? erit dativus difficul, quod non potest recipere rationem.[2]) adverbium enim quod in ter exit a dativo debet nasci, ut integer sit dativus et sic accipiat syllabam.“ — Itaque non mirum est grammaticos ad hanc rationem se applicare, cum dubium est, utrum per e an per ter exeant adverbia: „Largus nomen“ inquit Charisius p. 79,$_{10}$ „facit ex se adverbium large quod omnia nomina, quae in qualitate sunt aut in quantitate, [3]) si dativo casu in o exeant, o in e mutant et adverbium faciunt, ut doctus docto facit docte. nam et duriter Terentius dixit et Plautus ampliter“. Eadem doctrina eodemque exemplo usus Romanus ap. Charis. p. 195,$_{12}$ ⟩ample⟨ proferendum esse contendit contra Plautum, qui ⟩ampliter⟨ dixerit; similem rationem Romanus forsitan adhibuerit I p. 200,$_{1}$, ubi „firme“ inquit „ab eo est quod est

1) Antiquos hanc formam non aspernatos esse tradit Festus p. 87,$_{1}$ M.: „facul antiqui dicebant et faculter pro facile“ (De forma ⟩facul⟨ cf. etiam Festus p. 214,$_{20}$; 215,$_{11}$ et Non. Marcell. p 111,$_{21}$); apud Charisium vero p. 183,$_{16}$ non modo faculter, sed etiam faciliter sicut viliter refutantur: „ridiculum est“ inquit „legem adversus consuetudinem ferre, quae sola in nostro sermone dominatur; dicimus enim usu pronuntiativo magis vile et facile.“

2) ⟩Difficul⟨ autem adiectivum exstitisse in Varronis Satura Menippea testatur Nonius Marcellus p. 211,$_{32}$ (Buecheler[4] frg. 46; cf. Neue II[3] p. 586): „Varro Bimarco: quod utrum sit magnum an parvum, facile an difficul.“

3) cf. Charis. 101,$_{1}$ (= Beda VII 277,$_{20}$): „Large et largiter. Julius Modestus utrumque recte dici ait, sed large esse qualitatis, largiter quantitatis“ — Similem sententiam invenies ap. Charis. p. 184,$_{5}$.

firmus, ut docte laute; firmiter ab eo quod est firmis,[1]) ut agiliter dociliter“. — Servius IV p. 439,$_{5}$ sq. Terentium et Vergilium vituperat, quorum alter contra rationem duriter, alter lugubre[2]) dixerit; item Pompeius V p. 245,$_{1}$ sqq. reprehendit, quod Terentius adverbia ⟩duriter et inhumaniter⟨ usurpaverit (cf. l. l. v. 15: „et hoc (i. e. dure inhumane) potius debemus sequi; illa (i. e. duriter inhumaniter) enim potius in auctoritate sunt.“) — Charisius quoque p. 113,$_{22}$ sqq. (= Exc. Bob. 556,$_{14}$) [3]) tales formas, ut ⟩naviter humaniter largiter duriter⟨ contra regulam receptas esse monet, addit autem grammaticos eas etiam secundum suam rectam analogiam proferri posse docuisse, ut ⟩nave et ignave humane[4]) large dure⟨. His locis addas Bedam De orthogr. VII p. 270,$_{28}$: „dure“ inquit „regulae, duriter antiquitatis est“. [5])

Nonnunquam etiam ex genetivo adiectivorum adverbia colliguntur, velut apud Charisium p. 115,$_{38}$ sqq. et apud Dositheum VII p. 411,$_{19}$. — Priscianus, qui III p. 76,$_{22}$ sqq. ceterorum tertiae declinationis

---

[1]) cf. Neue II^{3} p. 166.

[2]) cf. Pomp V 246,$_{27}$: „propter dativum singularem in i exeuntem . . lugubriter debuerat facere, sed tamen maluit lugubre.“

[3]) De his locis conferas Tolkiehn, Cominianus p. 145 inde a verbis: „Bei oberflächlicher Betrachtung.“

[4]) cf. Charis. 116,$_{10}$: „dixerunt veteres naviter duriter humaniter, quod nos nave dure humane. sed humaniter quidem significat *φιλανθρώπως*, humane autem *ἀνθρωπίνως*.“

[5]) Diomedes p. 406,$_{33}$ sqq. vetustatem et consuetudinem in his formis rationem transisse dicit; Dositheus autem VII p. 411,$_{26}$ monet, ne auctoritatem nimis premamus, nam „illud vero“ inquit „est vitiosum, quod multi dicunt largiter duriter ignorantes rationem et nitentes auctoritate, cum et illi auctores, qui semel largiter ac duriter dixerunt, saepius large et dure dixerint“, et Augustinus V p. 517,$_{10}$, ubi de eadem re agit, auctores non immodice, sed cum quodam pudore contra regulam pauca praesumpsisse affirmat.

adiectiorum adverbia a dativo derivat, p. 76,$_{20}$ in ⟩ens⟨ desinentium a genetivo ducit, ut sapiens sapientis sapienter, prudens prudentis prudenter.[1]) — Tenere an teneriter dicendum sit quaeritur a Charisio p. 182,$_{22}$; ac primum quidem grammaticus a genetivo orditur, cum „nominativus casus nullum discrimen ostendat“, tum autem l. l. v. 30 sqq. omnes casus obliquos respicit: „ergo cum per omnes casus tener non aliter declinetur quam liber, sequitur, ut tenere proportione dicatur ut libere.“

Nonnulli grammatici has difficiliores derivandi rationes vitantes simpliciter e terminationibus adiectivorum normam student cognoscere,[2]) velut Caper „De orthographia“ VII 106,$_{19}$: „Audacter“ inquit „Latinum est, sed audaciter melius,[3]) quia nomina in x littera terminata in adverbiis ⟩iter⟨ adsumunt, ut atrox atrociter, ferox ferociter, velox velociter, sic audax audaciter“.[4]) — Adverbia in o exeuntia plu-

---

[1]) Secundum regulam Augustini V 516,$_{42}$ haec quoque adverbia ex ablativo fluunt, perdunt autem, „ne aspere sonent“, ultimam syllabam, ut a sapiente sapienter non sapientiter, a prudente prudenter non prudentiter, a praestanti praestanter non praestantiter. (Miror, quod grammaticus bis ablativum in e, semel in i terminaverit). — In arte Asperi autem (An. Helv. 54,$_{23}$) haec tamquam recte a dativo derivata ponuntur: „adverbium in r litteram exire debet, ut sapienti sapienter, quod in his nominibus aequali ratione poteris invenire, ut a constanti constanter . . .“

[2]) Eiusmodi praecepta inveniuntur apud Charisium p. 181,$_{17}$ sqq.; cf. Jeep, Redeteile, p. 271 sq.

[3]) Priscianus autem hanc formam ex dativo colligit III 76,$_{23}$: „fortis forti—fortiter, utilis utili-utiliter . . . . audax audaci—audaciter; sed per syncopam in usu est frequentiore audacter.“ Donatus quoque IV p 396,$_{10}$ exemplo ⟩audacter⟨ ad syncopam illustrandam utitur. Quintilianus autem I 6,$_{15}$ acerbissimis verbis eos vituperat, qui ⟩audaciter⟨ dicant.

[4]) Praeter exemplum ⟩velociter⟨ eadem verba exstant ap. Bedam VII 264,$_{10}$ = Alb. Magist. VII 296,$_{1}$.

rimi grammatici a ratione abhorrere existimant: vide Cledon. V p. 64,17, qui „ista“ inquit „adverbia ideo in o exeunt, quia anomala sunt in conparatione, illa vero ideo in e, quia conparationes legitimas servant“. Itaque Cledonius V p. 64,2 ›false‹ mavult dici quam ›falso‹,[1]) et Dositheus VII p. 411,25 „ratio“ inquit „exigit certe, vocalitas certo“. Romanus autem haec adverbia quae non comparentur[2]) recte per o proferri contendit, cetera vero in e finienda esse censet (Char. 192,24):[3]) „ferendum“ inquit „est illud . . . ›raro legis‹; immo vero cum ratione prolatum. etenim hoc non capit collationis officia, ut arcane arcanius arcanissimeque dicamus aut false falsius falsissime, sed ut sedulo, nec ut consulto vel tuto. haec enim duo possunt ordines ducere et per augmenta venire sublimius. itaque clanculo, non item dicere raro, sed rare dumtaxat cum ratione poterimus.“ — Ex superlativo adverbii ›acerrime‹ Charisius p. 182,15 sqq. colligit positivum ›acriter‹ ab adiectivo acer, non acris venire.

Non modo ab adiectivis, sed etiam a substantivis adverbia formari posse veteres sibi persuaserunt,[4])

[1]) „o quae producuntur a masculinis veniunt et melius iuxta regulam in e caderent, ut false sicut docte“ — cf. Charis. 116,15.

[2]) Servius IV p. 439,12 (cf. Diom. I 405,20): „ea adverbia“ inquit „comparanda sunt quae ducunt originem a nomine recipiente comparationem, ut est doctus.“

[3]) p. 193,5 idem Romanus contra eos disputat qui sicut in mediis partibus verborum (Veturii—Voturii, versus—vorsus) ita etiam in terminationibus „o et e litteras inter se expedire“ putent.

[4]) Quamquam hanc rationem non omnes grammatici videntur probavisse; cf. Charis. p. 183,1: „Or litteris terminata nomina, ut quidam putant, duabus sed diversis ex se figuris adverbia faciunt, ut orator oratorie, memor memoriter. ›sed animadvertendum est, num oratorie non ab oratore, sed ab oratorio trahatur.“‹

atque falsa quidem analogia reicitur a Charisio p. 185,28: „nonnulli“ inquit „decuriatim et centuriatim non a decuria et a centuria, sed a decurione et centurione tracta putant sicut ab ordine ordinatim, non intellegentes similia nomina non esse ordinem et centurionem. nam ut ordo et centurio ea figura qua utrumque o terminantur similia sunt, ita qualitate et significatione disparia“. — Ut ex appellativis ita e nominibus quoque propriis adverbia fluunt, sed haec derivatio incerta est. Dubitat enim Pompeius V p. 242,14 sqq., utrum ›Horatie‹ an ›Horatiane‹ dicendum sit. Primo colligit ›Horatie‹ proferendum esse, cum legerit adiectivum derivatum Horatius (lex Horatia); subito autem ex angustiis controversiae ad regulam confugit, l. l. v. 22: „Omnia“ inquit „adverbia, quae per derivationem nascuntur, necesse habent crescere“; inde comprobat Horatiane, sicut a Tullius Tulliane, a Vergilius Vergiliane.

Quod pertinet ad radicem adverbiorum, Martyrius ap. Cassiodor. VII 168,6 sqq. adverbium ›bone‹ fingit, quod analogiae respondeat: „. . . . doctus—i—o—docte, malus—i—o—male; ergo et bonus boni bono bone debuit facere,“[1]) et p. 173,5 ›valide‹ integram dictionem esse pro ›valde‹ confirmat, cum ab adiectivo ›validus‹ originem acceperit.

De verbis.

Iam priusquam ad singulas res accingar tractandas, praemittam universas de verbis regulas; quibus praemissis primum de positione verbi, deinde de praeterito perfecto, tum de participio praeteriti perfecti passivi disseram; appendicula paucas quaestiunculas absolvam.

„In verbis“ inquit Diomedes I p. 384,16 „ea videntur analogiae respondere, quae positionem pri-

[1]) Formam ›bone‹ autem stultissime ita defendit, quod quasi propter differentiam recepta sit, ne ›bone‹ vocativus nominis esse putetur.

mam habent, ut in activa declinatione in o efferantur, in passiva in r addita, et conpetenter exemplis coniugationum quae demonstravimus declinentur." [1]) Similia inveniuntur apud Priscianum II 373,$_{11}$: „omnia verba perfectam habentia declinationem et aequalem vel in o desinunt vel in or", II 442,$_{29}$: „... cum enim omnia verba quae aequali regula declinantur, in o vel in or desinant", III 450,$_{12}$: „Omnia verba quae secundum analogiam declinantur, in o vel in or desinunt et habent coniugationes quattuor" et apud Macrobium V 652,$_{11}$: „omne igitur verbum apud Latinos, quod sub proportionis observationem cadit, aut o aut or syllaba terminatur." — Secundum hanc rationem grammaticis etiam ex anomalis verbis quaedam ad analogiam quadrare videbantur, ut ait Eutyches V p. 448,$_{18}$: „... notatis scilicet anomalis vel defectivis, in quibus plerumque ratio deficit analogiae, ut ⟩sum prosum inquam cedo edo faxo sodes ave ferit infit et similibus⟨; licet in his ipsis quaedam sunt, quae ex ipsa similitudine finalitatis possunt ceterorum regulis oboedire verborum"; atque eandem sententiam pronuntiare Diomedem videmus p. 386,$_{9}$: „Est et volo" inquit „corruptum; positionem quidem habet talem velut cetera quae analogiae parent, quoniam in o terminatur; sed in ceteris confundit declinationem",[2]) et p. 386,$_{23}$: „Est

[1]) cf. Diom. I 371,$_{23}$: „Haec de quattuor coniugationibus quae pertinent ad verba quae analogiae parent, quarum exempla passim perscripta sunt et sunt nota. quae siquis conceperit animo, non facile labetur": „omnia enim verba eiusdem ordinis" ut ait Charisius p. 169,$_{3}$ „similem declinationem habent."

[2]) Tamen secundum positionem grammatici etiam declinationis analogas formas finxerunt: velut Pompeius V p. 231,$_{21}$: „nolo volo, debueramus secundum regulam dicere nolo nolis nolit. et dicimus nolo non vis non vult; item volo volis volit et dicimus volo vis vult"; et Priscianus II 455, $_{8}$: „Tertia quoque persona per concisionem i profertur: ⟩volt⟨ pro volit. in hac quoque o in u convertentes vult dicimus, quamvis rationabilius sit ⟩volt⟨ dicere, quo magis vetustissimi utuntur."

et fero corruptum, et id verbum positionem quidem habet competentem analogiae, quoniam in o effertur, sed corruptum est, quoniam nullo modo coniugationum declinatur, ... v. 27. sed passiva declinatio non inconpetenter analogiae declinatur",[1]) et p. 386,$_{29}$: „Est et edo corruptum, . . . (387, $_{2}$) in passivo autem declinatur edor ederis estur, participium praeteritum esus. item ambedor et comedor, quae declinatio non minus et ipsa secundum analogiam declinatur." [2])

Quamquam igitur prima persona praesentis quasi fundamentum totius videtur esse declinationis, tamen nonnunquam — quamvis raro — de ipsa positione verbi quaeritur. — Ex praeterito perfecto ⟩unxi⟨ — ⟩ungo⟨, non ⟩unguo⟨ in praesenti dicendum esse colligit Velius Longus VII p. 59,$_{13}$: „nam quominus ⟩unguo⟨ debeat dici apparet ex eo, quod nullum verbum est ⟩uo⟨ terminatum sive iunctim sive solute, ut non eandem u servet in praeterito, ut volvo volvi, eruo erui; at ungo unxi facit, quo modo pingo pinxi fingo finxi." [3]) Auctor codicis Bernensis 83 (An. Helv. 181,$_{34}$) formam ⟩intellego⟨ per e litteram scriptam ex simplici verbo colligit et similibus compositis: „Non ex-

[1]) Priscianus autem etiam activae coniugationis formas nonnullas analogas esse concedit II 454,$_{29}$: „quae a prima persona accipiunt regulam, rectam declinationem sequuntur: ⟩fero ferebam feram⟨"; conferas etiam Prisc. II p. 457,$_{7}$: „non solum autem in omnibus aequalibus verbis secunda persona s in t vertit et facit tertiam, sed etiam ⟩fero⟨ fers fert facit, quod est inaequale."

[2]) Haec verba — fero volo edo — a Prisciano II 454, $_{1}$ propter inaequalitatem declinationis cum nominibus ⟩Juppiter iter femur⟨ componuntur.

[3]) Similia proferuntur in Papiriani Excerptis apud Cassidorum VII 165,$_{4}$; conferas etiam Bedam VII 294,$_{24}$ = Alb. Magist. VII 312,$_{18}$, qui „ungo unxi" inquit „quomodo pingo pinxi, utrumque sine u"; dissentit vero ab iis Caper VII p. 105,$_{14}$: „ungue dice, non unge"; de re conferatur Brambach l. l. p. 127 sqq.

cipitur“ inquit „a lego servans e solum ›relego‹, quia dicitur pariliter a lego ›delego perlego propterlego‹ ac per hoc rite similiter ›intellego‹“.[1]) — Similiter inchoativum ›conticesco‹ apud Priscianum III p. 471, 6 auxilio primitivi verbi ›conticeo‹ eruitur: „Conticesco; quidam tamen conticisco protulerunt. sed regula magis in inchoativis e paenultimam flagitat in his, quae a verbis secundae coniugationis derivantur, ut horreo horresco, ferveo fervesco, caleo calesco.“ — Eorum verborum quae a nominibus derivantur, primam personam totidem syllabas habere necesse esse docent grammatici quot genetivus ipsius nominis, et „sic semper“ — ait Eutyches V p. 461, 2 — „ex certis et manifestis incerta regulantur et ambigua;“[2]) itaque verbum ›inquieto‹ recte a substantivo ›quies quietis‹[3]) derivatum esse iudicat (470,13), quia rationabiliter syllabis genetivi nominis respondeat. — Ad extremum nonnulla primitiva verba e coniugationis quibusdam formis a Prisciano ficta commemoranda sunt. Eodem loco (II 371,20), ubi ex obliquis casibus nominativos ›faux prex dicio‹ efficit, ex secunda persona indicativi ›faris‹ — ›for‹ et ex prima persona activi ›do‹ etiam passivum ›dor‹ fingit; addit autem: „ea quamvis ratione regulae bene dicantur, tamen quia in usu aucto-

---

[1]) Prorsus diversa ratione usus Priscianus e compositis simplicia fingit verba II 178,9: „sunt tamen“ inquit „quaedam, quorum simplicia in usu frequenti non sunt, ut ›defensor repleo compleo . . . deleo releo eqs.‹ quod autem rationabiliter simplicia quoque horum possunt dici, ostendunt nomina ex eis nata: ›plenus‹ quasi a ›pleo‹ verbo, ›letum‹ quasi a ›leo‹ verbo et ›leor‹ . . .“; cf. etiam II p. 435, 1 sqq. (pello pellis pellas) et p. 562,10 (pendo specio).

[2]) p. 460 ille grammaticus exemplis allatis uberius hanc doctrinam exponit. (cf. Commentum Sedulii, An. Helv. p. 38,25 sqq.)

[3]) Mirum autem est, quod primum ›quies‹ a primitivo ›quiesco‹ ducitur: „quiesco quievi, unde nomen derivatum quies quietis ›inquieto inquietas‹ verbum primae coniugationis facit.“

rum non inveniuntur,[1]) recusamus dicere.“ Nec dubitat idem Priscianus II 561,15 sqq. participiis quibusdam verba ficta adiungere, quae constat apud scriptores in usu non fuisse: „Sunt quaedam participia“ inquit l. l. „quorum quamvis deficiant verba in usu, ratio tamen analogiae quod dici possunt ostendit, ut triumphatus erratus regnatus laboratus decursus; . . . (562, 2) quid enim prohibet verbis quoque eorum uti, nisi auctoritas deficeret?“ et alio loco II 442, 7 arroganter hanc rationem defendit: „nec incongruum“ inquit „nec absonum mihi videtur posse verba quoque ex his ipsis ad similitudinem eorum, quibus usa est auctoritas, proferre. quid enim impedit, nos quoque aliquid copiae ad opulentiam Latinae conferre eloquentiae et ad imitationem ›armo et armor armatus‹ dicere ›tunico et tunicor tunicatus‹, ut ›roboro et roboror roboratus‹ et ut ›aero et aeror aeratus‹ ›ferro ferror ferratus, plumbo plumbor plumbatus‹, et ut ›vestio et vestior vestitus‹ ›togo et togor togatus‹?[2]) si enim auctoribus timiditas obstitisset, ut nullis novis uterentur dictionibus ipsa natura et significatione exigente, perpetuis Latinitas angustiis damnata mansisset.“ Altero loco (II 400,19) Priscianus participii ›expertus‹ simplex ›peritus‹ esse

---

[1]) cf. Macrobius V 654,23: „faris fatur, roras rorat, daris datur; nec roro tamen nec dor nec for admittit auctoritas.“ Priscianus vero formam ›for‹ aliis locis (II 379,11; 558,13; III 484,34) quasi usitatam annotat, et Diomedes non modo ›for‹, sed etiam ›dor‹ videtur in scriptorum libris legisse, cum dicat I p. 379,24: „faris fatur; raro ›for‹ invenitur; verum in compositione, ut apud Cavium, reperimus ›effor‹ dictum: roras rorat, vix roro: daris datur: raro ›dor‹ reperimus“; cf. Prisc. III 486,18: „et sciendum, quod rarissime simplicis prima persona invenitur in usu ›for‹, quomodo et ›dor‹.“

[2]) Dubitant nonnulli grammatici, utrum hae voces — tunicatus togatus al. — nomina sint an participia; monent vero, ut — quoquo modo res se habeat — eae tantum formae adhibeantur, quae lectae sint apud auctores, neve aliae ad earum similitudinem fingantur (cf. Serv. IV 417,37 sqq. et 441, 3; Pompei. V 263, 9).

conicit et ita pergit: „cuius verbum in usu non est, quod debuit secundum analogiam ⟩perior⟨ esse.“[1])

Cui ordini singula verba attribuenda sint, certissimis et variis regulis et exemplis definitur; uno loco autem Prisciani ambigitur (II 469,$_{12}$ sqq.), utrum ⟩nexo nexas⟨ an ⟩nexo nexis⟨, quod Probus defendat (Cathol. IV 39,$_{26}$), dicendum sit: „necto“ inquit grammaticus „eius est primitivum; nam quomodo a participio ⟩amplexus⟨, quod ex verbo nascitur ⟩amplector⟨, fit verbum ⟩amplexor amplexaris⟨, sic a participio ⟩nexus⟨, quod nascitur a verbo ⟩necto⟨,[2]) fit frequentativum ⟩nexo nexas⟨. unde manifestum, quod rationabilius hoc secundum primam coniugationem protulit Virgilius.“

De declinatione ipsa vel de terminationibus singularum personarum, ordine et prima cuiusque temporis et modi persona cognitis, in verbis quidem regularibus omnia sunt perspicua [3]); de anomalis ⟩volo et nolo⟨, quibus analoga declinatio imputatur, iam diximus. Similiter Priscianus II 457,$_{4}$ (cf. Pompei. V 240,$_{25}$) a verbo ⟩sum⟨ secundum proportionem secundae coniugationis tertiam personam singularis non ⟩est⟨, sed ⟩et⟨, ut ⟩doces docet⟨ proferendam esse dicit, nisi propter ambiguitatem reicienda sit. Etiam participium ⟩ens⟨ ab hoc verbo secundum analogiam Caesarem derivasse tradit Priscianus III p. 239, $_{5}$.[4])

[1]) cf. Prisc II 125,$_{6}$: „perior periris (unde peritus).“

[2]) De huius verbi ⟩necto⟨ perfecto praeterito, ut id praecipiam, grammatici inter se dissentiunt; cf. Prisc. II 470,$_{5}$ sqq., Eutyches V 485,$_{19}$ (adde annot. critic.!); Neue, Formenlehre III^{3} p. 403 sq. et p 410 sq.

[3]) De ratione modi impersonalis formandi, quae „cum ab omni genere verborum iuxta similitudinem coniugationis colligatur“ (Diom. 341,$_{22}$) ad analogiam videtur pertinere, satis et accurate egit L. Jeep l. l. p 230 sq.

[4]) „Graeci autem participio utuntur substantivo: *Ἀπολλώνιος ὢν διδάσκεις, Τρύφων ὢν μανθάνεις*, quo nos quoque secundum analogiam possemus uti, nisi usus deficeret participii frequens. quamvis Caesar non incongrue protulit ⟩ens⟨ a verbo sum es, quomodo a verbo possum potes: potens“ (Schlitte l. l frg. XXVII); cf. etiam Prisc. II 568,$_{8}$.

Multo est difficilius, etiamsi de ordine verbi nihil dubitetur, temporum formas definire, quoniam in uno eodemque ordine variae et diversae formae inveniuntur. Ac plerumque de praeterito perfecto agitur et de supinis vel participiis ex eo derivatis.

De praeterito perfecto.

Cum huius temporis indicativi singularis prima persona activi semper in i litteram exeat, Priscianus II 494,$_{11}$ ex tertia persona ⟩ait⟨ facile primam ⟩ai⟨ potest fingere,[1]) et Pompeius ex ultima littera i ⟩odi⟨ praeteritum, non praesens esse colligit V 230,$_{9}$: „... feci legi scripsi praeteritum tempus est perfectum. ergo ista dubia siqui te interrogaverit et dixerit ⟩odi cuius temporis est⟨? si ad elocutionem, concedo tibi, ut sit praesentis temporis; si ad regulam, necesse habeo dicere praeteriti temporis. nullum enim potest praesens tempus exire in indicativo modo nisi in o.“

Singula perfecta per analogiam constituta apud grammaticos haec fere inveni:

„t o n a v i   d o m a v i“ — Cledon. V 60,$_{10}$: „omnis prima coniugatio ad imperativum modum ⟩vi⟨ addit iunctum et facit praeteritum tempus perfectum, ut canta cantavi — exceptis scriptis, ut puta

[1]) „Praeteritum“ inquit „cum in tertia inveniatur persona, debuit ⟩ai⟨ primam facere, quae in usu non est.“ Probus autem IV 35,$_{31}$ (cf Sacerd VI 487,$_{22}$) plenam declinationem praebet: „ai aisti ait“; quin etiam Priscianus II p. 541,$_{18}$ sqq. hoc verbum quartae declinationis esse ex imperativo ⟩ai⟨ colligit. Ceterum ⟩ait⟨ verbis defectivis adscribitur sicut ⟩inquit⟨, quamquam Priscianus II p. 495,$_{21}$ tertiae personae subiunctivi ⟩inquiat⟨ primam ⟩inquiam⟨ secundum analogiam vult respondere et pergit p. 496,$_{7}$ ita: „ergo secundum analogiam tertiae declinationis invenitur eius tota fere declinatio verbi.“ Sed aliam sententiam defendit Pompeius V p. 232,$_{1-15}$: „in istis“ inquit l. l. v. 12 „verbis defectivis non possumus per similitudinem novam componere declinationem, sed utimur tantum modo personis repertis, quas invenimus in auctoritate.“

tona tonui, sed ita tamen, ut sciamus et tonui facere et tonavi: sic tibi licet recedere ab ipsa regula, ut non perdas ipsam regulam."

„excellui" — Prisc. II 527, 8:

„Cicero vero in I epistul. ad filium: ›... ut excelleas‹; quod est ab excelleo excelles, cuius praeteritum debet excellui esse, ut calleo callui secundum proportionem secundae coniugationis. idem tamen Cicero in Verrinis ›praecellunt‹ protulit secundum tertiam coniugationem et in I pro Cornelio: ›qui eloquentia ceteris antecellit‹. ex quo debet ›exculi‹ quoque esse praeteritum perfectum, sicut percello perculi." cf. Prisc. II 526,18.

„liqui": Prisc. II 507,26:

„In co n antecedente, abiecta n et o in i conversa faciunt praeteritum, paenultima quoque producta, ut vinco vici, convinco convici — ›linquo‹ quoque, quod consimilem videtur habere terminationem, liqui facit praeteritum abiecta n". cf. Prisc. II 510, 5: „vici victum ...; eandem servat regulam etiam liqui lictum ...; nec mirum, cum post q u posita vim litterae amittat, in ›ci‹ desinentium regulam sequi."

„neglegerit" — Diomed. I 369,15:

„neglego neglexi; Aemilius Macer ›omnium nostrum neglegerit auctoritatem‹, quod est analogiae propius, quia et ›legerit‹".

„parsi" — Diomed. I 368,3:

„parco peperci; sed et legimus ›parsi‹ ..., sic enim melius veteres› parsi‹ declinant. nam parsimoniam, non parcimoniam dicimus."

„posivi" — Prisc. III 466,34:

„... verba in no desinentia, si tertiae sint coniugationis, in vi faciunt praeteritum, ut sterno stravi, cerno crevi, sperno sprevi, lino levi. pono quoque antiqui ›posivi‹ secundum analogiam dicebant quod

nunc ›posui‹ dicimus." cf. Prisc. II 484,26; 481,1 al. — (a ›cano‹ autem III 466,35 praeteritum anologum ›cavi‹ a Prisciano reicitur propter ambiguitatem, ne a ›caveo‹ nasci videatur.)

„porrexi correxi arrexi" — Prisc. II 523, 7.

(„a regendo composita, quamvis in praesenti syncopam e paenultimae patiantur, tamen in praeterito perfecto eam euphoniae causa servant, ut ›porgo porrexi, pergo perrexi, surgo surrexi‹) nam ›porrigo et corrigo et arrigo‹ e in i convertentia aptissime servant secundum proportionem simplicis declinationem".

„strisi" — Prisc. II p. 521,3:

„strido et strideo tam tertiae quam secundae coniugationis invenitur. v. 17: praeteritum perfectum eius debet secundum analogiam in ›do‹ vel in ›deo‹ desinentium et paenultimam vel antepaenultimam naturaliter longam habentium in ›si‹ terminari, ut rado rasi, trudi trusi, ludo lusi, rideo risi, sed puto euphoniae causa non esse in usu strisi, sed stridi, quod, ut superius diximus (p. 419,16), usus quoque comprobat."

„sisi" — Prisc. II 522,5:

„sido" — cuius praeteritum in usu non est dubitationis vel alternitatis causa; debuit ›sisi‹ esse."

„scicidi" — Prisc. II 516,14:

„scindo scidi. vetustissimi tamen etiam ›scicidi‹ (cod. R. „sciscidi") proferebant — (517,12) et videntur hi rationabilius protulisse, ne minorum sit temporum praeteritum quam praesens, quod rarissime invenitur."

„ascivi descivi" — Prisc. II 510,13:

„et notandum, quod ab inchoativo ›scisco‹ composita primitivi, i. e. scio, habuerunt praeteritum; secundum rectam vero proportionem debent eorum quoque perfecta ab ›ascio et descio‹ esse." — p. 508, 5 autem perfectum ›ascivi‹ inde comprobatur, quia praesens in ›sco‹ exeat, et componitur cum ›quiesco pasco cresco‹.

De participio praeteriti et supino.

Participium praeteriti et supinum plerumque a a perfecto activi derivantur; nonnunquam tamen etiam praesens verbi respicitur, imprimis in deponentibus.

„intonata" — Prisc. II 473,11:

„domui domitum, cubui cubitum, sonui sonitum, tonui tonitum — Horatius tamen in epodo ›intonata‹ protulit secundum analogiam pro ›intonita‹ (cf. Cled. 60,10 ›tonavi‹).

„lavatum" — Prisc. II 459,4:

„Si sint primae coniugationis, abundat praeteritum una syllaba: accuso accusavi, domo domui, sto steti, exceptis duobus: iuvo iuvi, lavo lavi. antiqui tamen haec quoque secundum analogiam saepe proferebant, unde Terentius in Eunucho ... ›lavatum‹ dixit, quod est a lavavi pro lautum vel lotum"; cf. Prisc. II 475, 1: „lautum, quamvis vetustissimi etiam ›lavatum‹ solebant dicere."

„Potatu potaturus potatus" utrum secundum analogiam dicendum sit an melius per syncopam „potu poturus potus" quaerit Priscianus II p. 558,19 sqq.; sed controversiam non discernit.

„arcitus" — Prisc. III 499,15:

„Arceor arceris vel arcere arcetur, arcebar, arcitus sum vel arcitus fui secundum analogiam, quamvis in usu deficit." Nescio quam similitudinem Priscianus secutus sit; fortasse a composito hanc formam derivavit; pergit enim v. 16: „compositum tamen eius ›coerceor coercebar coercitus sum‹ ... in frequenti est usu."

„pansus" — Diom. I p. 377,21:

„Sunt quaedam verba r littera terminata ex diversa positione derivata, quae eadem sortiuntur perfecta, ut pandor panderis; exigebat analogia, ut ›pansus‹ dicamus, sed passus dicimus. — Priscianus III 504,25 „sed notandum est", inquit „quod cum alia

omnia quae n habent ante do etiam in participio ante us servant n, ut offendo offensus ..., hoc differentiae causa, ne femininum eius simile inveniatur proprio masculino, quod est hic Pansa, ideo passus passa passum facit, quamvis a patior quoque passus facit, et a pateo (!) passus [1]) ... 505, 2. imperativus et optativus et subiunctivus et infinitivus supra dicti verbi secundum analogiam declinantur"; cf. gloss. cod. Bern. (An. Helv. p. 255 ad v. 11.)

„experrectus" — Prisc. II 513, 2.

„Caecilius vero secundum analogiam protulit in Imbriis .... ›experrectus‹;" cf. p. 512,22: „deponentia vero in ›scor‹ desinentia in antepaenultima quidem syllaba a vel i correptas habentia in ›ctum‹ faciunt supinum, ut paciscor pactum, proficiscor profectum, expergiscor ›experrectum‹ facit, quamvis vetustissimi etiam ›expergitus‹ [2]) dicebant."

„Sallitus" — Diomed. I p. 375,16.

„Sallior frequens videtur et tritum, ut perfecto tempore salsus sum dicamus. sed veteres ambiguitatem appellationis vitantes et analogiam sequentes sallitus sum dixerunt a positione sallo, non sallio, ut Sallustius historiarum quarto ait „... sallere"; Varro ad Ciceronem quinto „ut servarent sallere," ... Severus: „distractos atque sallitos"; et Fabianus causarum tertio „cum caro sallita diuturnior", sallita ut munita. procul dubio sallio dici debebit, cuius frequens perfectum videtur sallitus sum potius quam salsus." Confusa haec est ratiocinatio: nam si ›sallitus‹ participium praesens ›sallio‹ videtur postulare, non intellego quo iure Diomedes veteres ut analogiae amantes laudaverit, qui a ›sallo‹ hoc participium ›sallitus‹ protulissent. An Diomedes participium ›alitus‹ a verbo

---

1) cf. Prisc. II 485,11.

2) cf. Diomed. I p. 376,12: „sed expergitus dicitur, qui satiatus somno et sponte evigilat . . ., experrectus autem a quiete inpeditus."

alo⟨ ductum respicit, quod paucis versibus ante p. 375,15 ambiguitatis vitandae gratia melius dici affirmat quam ⟩altus⟨? Potius comprobaverim Prisciani sententiam, qui II 546, 9 „sallio“ inquit „sallitum facit, sallo salsum, quomodo vello vulsum.“

Calutum — Prisc. II 506,13:

„solvi solutum, volvi volutum; sic debet etiam calvi calutum facere (quod tamen in usu non inveni, et puto calumnias ex hoc esse derivatum).“ [1]

Sorbitum, sorptum — Prisc. II 492,21:

„a sorbui sorbitum, a sorpsi sorptum [2] debet fieri supinum, ut ab habeo habitum et praebeo praebitum, et a scripsi scriptum et nupsi nuptum, quorum neutrum adhuc in usu inveni.“ (i. e. nec sorbitum nec sorptum.) —

His exemplis allatis quomodo grammatici analogiam in participiis praeteriti formandis adhibuerint cum satis patefieri existimem, ut supervacaneum sit reliquos id genus locos, quibus agitur de proportione, exscribere, enumerabo eos perpaucis verbis additis: [3]

---

[1]) cf. Albin. Magist. VII 300,1: „calvo, i. e. decipio, per v scribendum est, calvi secund. regulam debet facere, et exinde calumnia derivatur.“

[2]) cf. Caper „De orthogr.“ VII p. 94,14: „Non est sorbo sed sorbeo, nec sorbsi sed sorbui. sic et absorbui, non absorbsi.“

[3]) Hic quoque nonnulla invenies participia a Prisciano ficta, quae tamen in usu non sint; illis locis hosce addas, quibus studium illud secundum regulam nova procreandi verba consuetudini contraria, quo studio Priscianum imprimis teneri am saepius animadvertimus, lucide appareat: II 488,7: „in ⟩gui⟨ facientia non habent participia, secundum analogiam debent in ⟩tum⟨ facere“ (cf. Diom. I 341,8: „studitum ire, egitum ire dicere non possumus“); III 470,36: „ergo in neutris verbis, quamvis non sint participia praeteriti, ad similitudinem habentium haec proferimus, ut statum ire, sicut amatum ire“; II p. 565,21 (tractantur tempora participiorum): „itaque quod deest Latinitatis linguae naturaliter, completur iuncturae ratione. multa tamen in his quoque. quae regula exigit dici, sive euphoniae causa deficiunt sive quod in usu non sunt, sicut et in aliis partibus orationis.“

tersum (Prisc. II 487,14: cf. 486,24 sqq.), saeptum (Prisc. II 543, 2), fictum (Caper VII 106, 5), gestus (Prisc. III 503,34), nectum (Prisc. II 472,16: „ut frico fricui frictum, similiter seco secui sectum, sic neco necui ⟩nectum⟨“), mictum (Prisc. II 495, 5), luctum polluctum (Prisc. II 492,25), sputum plutum metutum [1]) (Prisc. II 505,21), setum (Prisc. II 533,18), petitum (Prisc. II 537,22), cupitum sapitum (Prisc. II 500,17), venitum (Prisc. II 543,18). — Composita formam simplicium sequuntur, velut absconditus (Diom. 375,25: „melius quam absconsus, quia simplex condor conditus“), [2]) ostentus (Diom. 376, 2 „quia tentus“), cognotus et agnotus (Prisc. II 511, 2; „vetustissimi secundum analogiam, quia notus“). — Composita etiam inter se comparantur apud Priscianum II 514, 9.: „a reminiscor supinum vel participium praeteriti in usu non inveni, quamvis ratio hoc quoque ⟩rementum quomodo ⟩commentum⟨ exigat dici.“

Iam venio ad participium futuri activi; id ad participium praeteriti passivi dirigitur, de qua re conferas Expl. in Donat. IV. p. 514, 3 sqq.. [3]) Singula exempla huius rationis ponantur haec: Diomed. I p. 376, 5: „non ostensurum neque tensurum. melius ostenturus dicimus, quoniam ex temporibus perfectis passivis futura participia activa derivantur, velut, amatus sum amaturus;“ Cledon. V 71,14: „quaeritur utrum sancturus an sanciturus dicatur. ad praeteriti perfecti regulam recurrendum est: ab eo quod est sanctus tolle s, adde rus, facit sancturus,

---

[1]) „ut adiuvi adiutum“; metui: adiuvi! de forma ⟩metutum⟨ cf. Neue III³ p. 538.

[2]) Caper autem VII p. 94,16 hoc participium ex indicativo perfecti ipsius verbi colligit: „absondi, non absconsi. sic et absconditus, non absconsus dicendum.“

[3]) Priscianus utrumque participium a supino extremo derivari putat II 557,25 sqq. et p. 558,7, quam regulam etiam in anomalis verbis servari dicit II 559,23.

si sancitus, facit sanciturus;" Expl. in Don. IV 514,$_{15}$: „quaeritur ab eo quod est sarcio, utrum sarsurus an sarturus an sarciturus. sequere rationem, fac praeteritum tempus sartus . . . ergo sarturus facit."

Hac doctrina usus Priscianus II 566,$_{9}$)cassus non participium, sed magis nomen esse ut)lassus(censet; [1]) nam si participium esset, etiam futuri participium)cassurus(esse oportere, non)cariturus(. Controversia vero exstat inter grammaticos de participiis praetaeriti et futuri verbi)morior(; alii dicunt secundum participii futuri rationem)moritum(supinum proferendum esse, alii)moriturus(anomalum esse contendunt, quia non quadret ad participium praeteriti)mortuus(:

Prisc. III 485,$_{27}$: „. . . amatus amaturus, . . . sic et fatus faturus: exceptis paucis, mortuus moriturus, in quo secundum analogiam)moritus(debuit esse praeteritum."

Prisc. II 558,$_{16}$: „excipitur mortuus a morior, cuius supinum, cum secundum analogiam)moritu(et hinc)moriturus(facere futurum debeat et praeteritum)moritus(, mortuus, non moritus facit."

Prisc. II 502,$_{2}$: „a morior quoque notandum, quod cum)moriturus(secundum analogiam faciat participium futuri,)mortuus(fecit praeteritum geminata u, quod in nullo alio participio invenies, [2]) pro)mortus vel moritus(, quod proportio magis exigebat."

---

[1]) cf. Prisc. II p. 559,$_{16}$: „(quaeritur), cassum cassu, unde cassus, an caritum caritu, unde cariturus . . . quibusdam tamen hoc, id est)cassus(, magis nomen esse videtur ut lassus."

[2]) Probus autem in Inst. art. IV p. 126,$_{16}$ u geminatam declinatione defendit: „Quaeritur, qua de causa mortuus nominativo et accusativo casu numeri singularis ante ultimam consonantem per duo u scribatur. hac de causa, quoniam quaecumque nomina genetivo casu numeri singularis ui litteris discretis definiuntur, haec nominativo et accusativo numeri singulari. per duas u litteras ante ultimam consonantem scribuntur. nunc cum et hoc nomen huius mortui facere intellegatur, et ideo hic mortuus et hunc mortuum facere pronuntiatur"; cf. Brambach,

Serv. IV 417,$_{34}$: „sed his regulis repugnant pauca participia nova ratione usurpata, ut est moritus, quod nulla ratione dicitur. sublata enim)rus(syllaba et addita s littera moritus facit, quod Latinitas non habet."

Explan. in Donat. IV 514,$_{13}$: „. . . exceptis tamen paucis quae ab hac regula separantur, ut est mortuus. num quid facit morturus? sed facit moriturus. . ." — Cledon. V p. 71,$_{19}$: „mortuus tamen hoc solum contra regulam istam repugnat, quia non facit mortuus)mortuurus(, sed facit)moriturus(." Inepte denique Probus (Inst. art. IV 140,$_{39}$) formam)moriturus(ex participio)mortuus(derivare studet. [1])

Restat, ut paucas commemorem quaestiunculas ad coniugationem — ad tempora et modos — quorundam verborum pertinentes.

a) de futuro verbi „eo" et compositorum.

Quaeritur, cur huius generis verborum futurum in)bo exeat, cum cetera quartae coniugationis plerumque hoc tempus in)am(syllabam mittant; atque causam huius rei ex analogia quadam quaerit Charisius

---

l. l. p. 96. — Mirari non debemus, quod l. l. a Probo)mortuus(nomen, non participium habeatur; conferas enim, quaeso, quae de hac re Augustinus V p. 520,$_{22}$ sqq. censeat: „est unum participium praeteriti temporis in omni Latino sermone, quod in formam nominis conversum est, ut est mortuus . . . nam ubi geminata u littera in nominativo est, nomen est, non participium, ut)fatuus ingenuus arduus carduus exiguus beluus, ut Cicero dixit, et talia(. contra regulam participiorum)mortuus(putatur esse participium, sed in vim regulamque nominis conversum est." — Pro Cicerone simili loco Isidori (Orig. XI 2,$_{33}$) Caesaris nomen exstat; cf. Kuebler, III, 2. p. 144; — de voce rarissima)beluus(cf. Thesaur. Ling. Lat. s. v.)beluus(.

[1]) „Quaeritur, qua de causa moriturus et non secundum formam suam morturus faciat. hac de causa, quoniam futuri temporis participia, quae nominativo casu numeri singularis)rus(syllaba terminantur, haec praeteriti temporis participiis syllaba debent esse potiora. nunc cum hoc participium)mortuus(faciat, et ideo)moriturus(necesse est ut faciat!"

p. 247,18 (= Exc. Bob. 565,36): „quorum“ inquit „verborum (eo transeo exeo subeo redeo queo veneo) futurum tempus in ⟩bo⟨ cadit, quia, ut supra diximus, prima persona secundi ordinis similitudinem sequitur.“[1]) Consentius autem V p. 381,30 sqq. eadem de causa utramque terminationem comprobat: eam queam, ibo quibo.[2]) Fusius de hac ratione agit Pompeius V p. 225,34—227, 1. — Aliter autem ratiocinatur Priscianus II p. 453, 3 sqq., qui non a prima persona, sed a secunda in ⟩is⟨ desinente imperfectum et futurum horum verborum ductum esse existimat,[3]) cum cetera verba tertii et quarti ordinis, sicut plerique grammatici, ad primam personam praesentis dirigat (453, 8 sqq.)

De imperativis „d i c e, d u c e, f a c e.“

Charisius p. 256,19 (= Exc. Bob. 563,19) „corrumpuntur autem“ inquit „haec tria, velut facio fac, dico dic, duco duc, et quae ab his sunt, dico abdico abdic... abduc... sed facio, quod subnotavimus, si praepositionem acceperit, redit ad regulam,[4]) velut inficio infice .... sed apud veteres salva est regula. nam

[1]) cf. Comment. Sedul. (An. Helv. 8,22): „Quid est illud proprium, quod ipsa habuit nisi illud possessum, nisi illud speciale observatum, quod supra ostendit, quia videlicet omnia verba in ⟩eo⟨ vel in ⟩eor⟨ desinentia unius tantummodo sunt, hoc est secundae coniugationis? Hoc enim totum canonicum, hoc totum regulare proprium est secundae coniugationis . . .“

[2]) De participio praesentis verborum ⟩eo et queo⟨ cf. Prisc. III 456,21: „excipitur eo et queo, quae euphoniae causa iens pro eens et quiens pro queens faciunt et genetivo euntis pro ientis, queuntis pro quientis.“ — Itaque Priscianus formas ⟩eens, queens⟨ analogas intellegere videtur; mirum autem est, quod non pergat consequenter: ⟩eentis et queentis⟨.

[3]) Augustinus autem V p. 512,38 sqq. ea verba, quae secundam personam praesentis in ⟩is⟨ syllabam mittant, ⟩nisi auctoritate praesumpta⟨ nunquam in futuro per ⟩bo⟨ finiri posse dicit.

[4]) cf. Roman.-Charis. 142,3: „Quies quietis facit . . . quod tamen nomen iuncta praepositione ⟩i n r e g u l a m r e d i t⟨“ (quem locum iam supra p. 63, n. 1 commemoravi).

dixerunt ⟩face dice duce⟨.“[1]) — Similia profert Diomedes I p. 349,24—30 (cf. p. l. v. 6–8), laudat autem praeterea Vergilium, quod „antiquitatis amans ratione et conpetenter analogiae et consuetudini eruditorum“ ⟩edice⟨ scripserit, cum imperativi ex secunda persona indicativi praesentis oriantur (349,30—350, 5); atque addit etiam aliam regulam, qua imperativi in e desinentes confirmentur (cf. Macrob. V 645,10): ex imperativis enim ⟩re⟨ syllaba addita infinitivos nasci: „ita quoque“ inquit „nisi dice face declinetur, dicere facere infinitivum esse non poterit.“ Hac derivatione utitur etiam Macrobius V p. 640,35: „dic autem vel fac duc deduc per apocopen dicuntur: nam integra sunt face dice duce deduce olfac olface reic reice et alia similia, ut in his quoque constet regula sua et amissione ultimae syllabae ex infinitis suis procedant, facere face, dicere dice ducere duce, olfacere olface, reicere reice.“[2])

De infinitivo „f i r e“.

Nonnulli grammatici pro fieri „fire“ dici maluerunt, velut Priscianus II p. 127,1: „fieri“ inquit „pro firi vel fire, quod magis analogum est, unde Virgilius in IV georgicon ⟩At suffire ...⟨“,[3]) et II 540,2: „⟩suffire⟨ dicit Virgilius secundum rectam rationis declinationem, cum simplex eius ⟩fieri⟨ est“. Rationem huius declinationis reddit Macrobius V p. 645,7: „Omne infinitivum activum praesentis tem-

[1]) Quintilianusvero, cui illa analogia nimis quaesita videtur, (Inst. or. I 6,20 sq.) in his rebus molliorem viam et magis tritam, i. e. consuetudinem, sequi mavult.

[2]) Hanc regulam tam certam esse affirmat p. 640,29, ut etiam anomala sub eadem norma posita sint, velut ⟩adesse ades, ferre—fer⟨.“—Anomali verbi ⟩nolle⟨ imperativum usitatum ⟩noli⟨ aspernatur Diomedes I p. 386,20 propter imperativum, ut ita dicam, simplicis: „melius est“ inquit „dicere nolis nolit, quoniam ex principali eius ⟩velis velit⟨ dicimus.“

[3]) Eadem verba exstant in Arte Anon. Bern. (An. Helv.) 113,11.

poris in e desinit, ut amare monere audire legere. ›unde‹ etiam a fio fiere esse deberet; et licet usus aliter optinuerit (fieri enim nunc dicitur), Ennius tamen in X annalium fiere dixit, non fieri."

Iam ad finem eorum quae mihi proposita erant ad tractandum progresso liceat mihi de **prosodiae** ratione nonnulla addere graviora, quibus quomodo grammatici in hac quoque disciplina proportione usi sint, quam maxime fiat manifestum.[1])

Quamquam Diomedes I p. 433,$_{31}$ accentus in integris dictionibus[2]) servari, in peregrinis autem verbis et in barbaris nominibus,[3]) maxime in interiectionibus nullos certos esse dicit: in his enim accentuum legem certam esse non posse, cum sit absurdum a turbato tenoris exigere rationem, tamen etiam interiectionibus accentuum rationem imputat Beda VII p. 241,$_{8}$: „Omnes interiectiones" inquit „si monosyllaba fuerint, producuntur ut heu; ceterae vero exemplo similium partium orationis aestimandae sunt." -- Quomodo autem mensura syllabarum cognoscatur, latius exponit Pompeius V p. 106,$_{25}$ sqq. Cum paenultimas tum ultimas verborum syllabas variis regulis adstrictas esse dicit, sed difficillimum esse pergit de primis syllabis aliquid certi prodere; de his cum artis praecepta deficiant, plerumque ad ›exempla‹ esse recurrendum. Quid autem sit ›exemplum‹, ostendit Servius IV

---

1) Initio cum etiam de orthographia, quippe quae saepius a grammaticis ad analogiam referatur (cf. Scaurus VII p. 12,$_{5}$ sqq., Diomed. I p. 456,$_{10}$, Mar. Victorin. VI p. 7,$_{36}$, Cassiodor. VII p. 193,$_{10}$ sqq.) appendicula agere in animo haberem, postea eam omitti posse intellexi, quoniam omnia fere ad hanc rem spectantia in Brambachii libro saepius a me laudato dilucide explicantur.

2) cf. Cledon. V p. 33,$_{17}$: „Accentus in Romanis verbis et in regularibus quaerere debemus eqs."

3) De peregrinorum nominum tenoribus fusius disserit auctor Explanationum in Donatum IV p. 527,$_{9}$ sqq.

p. 424,$_{8}$: „superest, ut ad exempla curramus, quae apud poetas per lectionem facillime deprendimus." Sed ne opus sit unumquodque verbum ad exempla referre, etiam aliud adiumentum verum cognoscendi exstare, i. e. etymologias (Serv. IV 424,$_{3}$: „primas origines"). Commemorabo Pompeium, cum ex versu quodam Vergilii (Bucol. 8,$_{47}$): „saevus amor docuit . . ." primam syllabam nominis ›amor‹ brevem esse cognovisset, in omnibus voculis, quae simile etymon habeant, item a litteram brevem esse colligere, atque hanc etymologiae rationem non solum in primis syllabis adhiberi suo loco videbimus. Nunc ea quae de singulis syllabis praecipiuntur, contemplemur.

a) de primis syllabis:

Āfer — Āfrica: — Maxim. Victorin. VI 221,$_{23}$:

„Necesse enim est, ut qualis est prima syllaba in aliquo nomine provinciali, eadem sit natura in ipsa provincia: ut Afer prima longa est, in Africa eadem natura est prima littera."

călvor-călumnia: — Charis. p. 58,$_{15}$:

„caluminia prima syllaba correpta effertur. venit enim a verbo calvor".

Stăbulum - stăbulo: — Prisc. II 124,$_{16}$:

„. . . exipitur stabulum, quod corripit a; nec mirum, cum verbum quoque stăbulo stăbulas eandem corripuit syllabam et stăbilis et stătus et quaecumque a verbo ›sto stas‹ derivata fuerint."

b) de paenultimis et ultimis syllabis:

α) nominum.

Nonnunquam ultimae syllabae nominativi mensura genetivo demonstratur, velut in libro „De finalibus" VI p. 231,$_{8}$: „al finitus in his nominibus, quae in genetivo a litteram corripiunt, indubitanter brevis est, ut Hannibal Hannibalis, in his vero, quae producunt,

naturaliter quidem longus est, sed auctoritate corripitur, ut cervical.[1])

E contrario obliquorum casuum sonus ex nominativis colligitur, velut a Charisio p. 85,19: „quare ergo lucar lucăris? . . . quia omnia ⟩ar⟨ elata genetivo corripiunt a litteram, velut Caesar Caesaris, par paris, sic et lucar lucaris.“ Simili modo Probus (Inst. art.; IV. p. 128,25) a litteram genetivi ⟩Bomilcăris⟨ brevem esse comprobat (exempl. Caesar Caesaris). — Neutra in ⟩or⟨ desinentia o litteram corripiunt; inde apud Roman.-Charis. p. 136,19 etiam genetivo ⟩memoris⟨ o brevis assignatur: „memoris“ inquit „non ut sororis praetoris doctoris; est enim neutralis potestatis, cum sit commune trium generum.“ His neutris alio loco Romani (ap. Charis. p. 119, 1] praeter ⟩aequor robor marmor⟨ etiam ⟩ador⟨ tribuitur; sed Priscianus II p. 236,20 (cf. p. 372,20.) de huius nominis mensura non leviter iudicandum esse ostendit, in qua pugnet regula neutrorum cum etymologia: „ab eo autem“ inquit, „quod est hoc ador, genetivus in usu frequenti non est, cuius derivativum o productum habet contra rationem aliorum, quae ex neutris eiusdem terminationis derivantur . . . ⟩adōrea⟨ . . . et puto ideo produci, quia a verbo derivatur producente o paenultimam, id est adōro. ergo ador quoque, cum ab eodem sit verbo, necessario, si declinaretur, produceret o in genetivo, quod rursus prohibebat regula neutrorum in ⟩or⟨ terminantium.

[1]) Inserendus forsitan sit, antequam ad obliquos casus transeamus, locus quidam Prisciani II p. 120,23 de paenultima syllaba nominativi nominum in ⟩ura⟨ exeuntium (scriptura censura tonsura al.) agentis, quam propter similitudinem participiorum futuri producendam esse censet. (Quorum participiorum primae coniugationis in libro „De ultimis syllabis“ IV 245,19 etiam antepaenultimae syllabae tenoris inveniendi redditur ratio: „. . . tertiam syllabam ab ultima semper producunt, ut amatūrus, contemplātūrus; non immerito, quia et in verbis a littera, quae est coniugationis index, necessario producitur.“

duabus igitur sibi adversis regulis repugnantibus mansit indeclinabile, quamvis inveniatur huius quoque apud quosdam veterum genetivus, modo producens modo corripiens paenultimam secundum supra dictas diversas rationes.“ — Quando ablativus singularis in e finitus corripiendus aut producendus sit, invenies praeceptum in Explanationibus in Donatum IV p. 495,36 sqq.; quintae declinationis ablativus semper producitur, ut ait auctor libri „De ult. syllab.“ IV p. 225,35: „et huius declinationis analogia e litteram in ablativo casu semper producit, itaque ablativus quoque famē, quamvis hoc nomen in usu genetivum ⟩famis⟨ faciat, producitur, cum veteres“ — ad historiam igitur spectat — „declinaverint ⟩fames famei⟨ (cf. Explan. IV 496, 3; Serv. IV 453, 5; Beda VII 238, 6; Pompei. V 175,15 sqq. — 30: „habes hoc in Capro de lingua Latina, non de dubiis generibus;“ Prisc. II 243,12).

β) verborum.

Infinitivi quorundam verborum utrum in ēre an in ĕre terminentur, interdum dubitatur; et cum correpta vocalis tertiae, producta vero secundae coniugationis propria sit, nonnunquam praesentis indicativus ad eam quaestionem solvendam auxilio vocatur, velut a Capro VII p. 93,15: „Fido mihi“ inquit „confido tibi, et fidimus nobis, confidimus vobis. sic fidere media correpta. nam si esset fideo, ut tepeo rideo, faceret fidēre ut tepere ridere.“ Item quaeritur de verbo ⟩fervere⟨, utrum e littera brevis an longa sit; Cominianus quidem (ap. Charis. p. 265,14 = Diom. 452,15) fervĕre pro barbarismo habet, alii autem utramque formam, et fervēre, et fervĕre, comprobant, cum non minus ferveo quam fervo dicatur. (cf. Pompei. V 297,19 sqq.; Marius Victorin. VI 38,25; liber De ult. syllab. IV. 241,20). — Ex incohativo autem ⟩fervesco⟨ auctor Explanationum tantum ⟩fervēre⟨ dici posse colligit IV p. 505, 31 . . . . (v. 35): „sed quia ratio

artis manifesta est, probabilius est, ut secundum rationem ›fervēre‹ dicamus. nam si ferveo facit ex se fervesco, i. e. inchoativum verbum, secundae coniugationis esse debet. aut da mihi unum verbum, quod ex se faciat inchoativum et non sit secundae coniugationis. cum hoc ergo faciat inchoativum et secundae coniugationis sit, productum esse debet infinito modo eqs.“[1])

Accentum denique in nonnullis voculis contra rationem suo loco moveri monet Priscianus III p. 488,31: „nec mirum“ inquit „euphoniae causa hoc in his (utráque pleráque) evenisse, cum in aliis quoque compositis hoc idem invenitur, ut calefacis tepefacis suaverubens, quae omnia debent secundum analogiam antepaenultimum habere acutum, paenultimum tamen habuerunt.“

---

1) Permira autem ratione Quintilianum videmus adductum, ut praeter formam ›fervĕre‹ etiam infinitivum ›fervire‹ exhibeat. Ac primum verbum ›fervĕre‹ reicit (I 6, 7), „quod omnia quae e et o litteris fatendi modo terminantur, eadem, si in infinitis e litteram media syllaba acceperunt, utique productam habent, ut ›prandeo pendeo spondeo prandēre pendēre spondere“. Deinde ita pergit: „at quae o solum habent, dummodo per eandem litteram in infinito exeant, brevia fiunt, ›lego dico curro legĕre dicĕre currĕre‹, etiamsi est apud Lucilium: ›fervit aqua et fervet: fervit nunc, fervet ad annum‹. sed pace dicere hominis eruditissimi liceat: si ›fervit‹ putat illi simile ›currit et legit‹, ›fervo‹ dicet ut ›lego et curro‹, quod nobis inauditum est. sed non est haec vera comparatio: nam fervit est illi simile servit, quam proportionem sequenti dicere necesse est ›fervire ut servire‹!“ Haec a Quintiliano cum alias summa utatur prudentia, sine ulla dubitatione proferri satis mirari non possum.

Addenda:

ad p. 12: Nova editio Apollonii Dyscoli libri *περὶ συντάξεως*, quam paravit Uhlig Lps. 1910, serius mihi in manus venit, quam qua uti possem; quam cum inspicerem, in iis quos attuli locos Bekkerum secutus easdem lectiones inesse animadverti.

ad p. 25, not. 2: Etiam alia verba quae exstant in prooemio capitis XV l. I artis Charisii eadem inveniuntur apud Diomedem in capite illo „De numero“:

Charis. p. 50,17 sq.:	Diomed. p. 334,32 sqq.:
sed **p**ostquam **p**lane **su**pervenientibus **saeculis** **a**ccepit **ar**tifices et solertiae [1]) nostrae observationibus captus est,	„sero autem **s**upervenientibus **saeculis** **s**crupulosae **c**uriositatis observationibus [1]) **c**aptus quasi **in**tercalaris **in**repsit. . .“
v. 19) paucis admodum partibus orationis normae suae dissentientibus	Verba quae v. 19 Charisii continentur alii loco Diomedis (p. 307,17) respondent (cf. supra p. 17 not. 5); verba quae ap. Diomedem l. l. v. 18—23 sequuntur, e Donati arte exscripta sunt, de qua re cf. L. Ieep, Rh. M. 51 (1896), p. 403.
v. 20) **r**egendum se **r**egulae tradidit et illam **l**oquendi **l**icentiam servituti rationis addixit.	

1) cf. Diom. p. 299, 1: „humanae ›sollertiae‹ claritas expolivit.“

1) cf. Charis. p. 1, 6: „ratione ›curiosae observationis‹.“

Ea autem verba Charisii, si re vera ad grammaticum ipsum redire putanda sunt, Diomedem illis locis de suo inseruisse cum cogitatione fingere insani sit, ego, quoniam nusquam apud ceteros grammaticos

artis manifesta est, probabilius est, ut secundum rationem ⟩fervēre⟨ dicamus. nam si ferveo facit ex se fervesco, i. e. inchoativum verbum, secundae coniugationis esse debet. aut da mihi unum verbum, quod ex se faciat inchoativum et non sit secundae coniugationis. cum hoc ergo faciat inchoativum et secundae coniugationis sit, productum esse debet infinito modo eqs."[1])

Accentum denique in nonnullis voculis contra rationem suo loco moveri monet Priscianus III p. 488,31: „nec mirum" inquit „euphoniae causa hoc in his (utráque pleráque) evenisse, cum in aliis quoque compositis hoc idem invenitur, ut calefacis tepefacis suaverubens, quae omnia debent secundum analogiam antepaenultimum habere acutum, paenultimum tamen habuerunt."

---

1) Permira autem ratione Quintilianum videmus adductum, ut praeter formam ⟩fervĕre⟨ etiam infinitivum ⟩fervire⟨ exhibeat. Ac primum verbum ⟩fervĕre⟨ reicit (I 6, 7), „quod omnia quae e et o litteris fatendi modo terminantur, eadem, si in infinitis e litteram media syllaba acceperunt, utique productam habent, ut ⟩prandeo pendeo spondeo prandēre pendēre spondēre". Deinde ita pergit: „at quae o solum habent, dummodo per eandem litteram in infinito exeant, brevia fiunt, ⟩lego dico curro legĕre dicĕre currĕre⟨, etiamsi est apud Lucilium: ⟩fervit aqua et fervet: fervit nunc, fervet ad annum⟨. sed pace dicere hominis eruditissimi liceat: si ⟩fervit⟨ putat illi simile ⟩currit et legit⟨, ⟩fervo⟨ dicet ut ⟩lego et curro⟨, quod nobis inauditum est. sed non est haec vera comparatio: nam fervit est illi simile servit, quam proportionem sequenti dicere necesse est ⟩fervire ut servire⟨!" Haec a Quintiliano cum alias summa utatur prudentia, sine ulla dubitatione proferri satis mirari non possum.

Addenda:

ad p. 12: Nova editio Apollonii Dyscoli libri περὶ συντάξεως, quam paravit Uhlig Lps. 1910, serius mihi in manus venit, quam qua uti possem; quam cum inspicerem, in iis quos attuli locos Bekkerum secutus easdem lectiones inesse animadverti.

ad p. 25, not. 2: Etiam alia verba quae exstant in prooemio capitis XV l. I artis Charisii eadem inveniuntur apud Diomedem in capite illo „De numero":

Charis. p. 50,17 sq.:	Diomed. p. 334,32 sqq.:
sed postquam plane supervenientibus saeculis accepit artifices et solertiae[1]) nostrae observationibus captus est,	„sero autem supervenientibus saeculis scrupulosae curiositatis observationibus[1]) captus quasi intercalaris inrepsit. . ."
v. 19) paucis admodum partibus orationis normae suae dissentientibus	Verba quae v. 19 Charisii continentur alii loco Diomedis (p. 307,17) respondent (cf. supra p. 17 not. 5); verba quae ap. Diomedem l. l. v. 18—23 sequuntur, e Donati arte exscripta sunt, de qua re cf. L. Ieep, Rh. M. 51 (1896), p. 403.
v. 20) regendum se regulae tradidit et illam loquendi licentiam servituti rationis addixit.	
1) cf. Diom. p. 299, 1: „humanae ⟩sollertiae⟨ claritas expolivit."	1) cf. Charis. p. 1, 6: „ratione ⟩curiosae observationis⟨."

Ea autem verba Charisii, si re vera ad grammaticum ipsum redire putanda sunt, Diomedem illis locis de suo inseruisse cum cogitatione fingere insani sit, ego, quoniam nusquam apud ceteros grammaticos

similia inveni, pro propriis voculis unius cuiusdam scriptoris habuerim, cuius nomen ut indagarem, mihi nondum contigit.

Praeterea utroque loco allitterationem, quae vocatur, omnes, qui in his locis explicandis versati sunt, fugisse satis est mirum; neque vero similem dicendi rationem inveni nisi apud Diomedem p. 300, 9 sq., ubi assonantia quaedam accedit: „. . . . et interiore vicino aere **pectoris** argutia **verberato palatoque sensim paulatimque pulsato** . . . .“

Corrigenda:

p. 6, n. 1, v. 6 lege: Iohannes; p. 12, v. 13 lege: *εἰς τὰς δεούσας ἀκολουθίας*; p. 12, n. 6 lege: apud Charisium I; p. 13, v. ult. lege: Audax; p. 14, v. 6 dele punctum post „Palaemon“; p. 17, v. 8 lege: auctoritate; p. 20, v. 13 lege: maximi; p. 28, n. 1, v. 18 lege: CGlL; p. 30, v. 2 lege: unum; p. 38, v. 7 lege: nullum; p. 38, n. 1, v. 4 lege: textu; p. 41, v. 33 lege: naturali; p. 46, v. 13 lege: censet; p. 48, v. ult. dele (post „victrici;“ p. 83, n. 3, v. 4 lege: in dativo.

Index locorum.*)

*) Vide etiam p. 28 sq.

VITA.

Natus sum Curtius Woldt a.d. VII Kal. Mart. a. 1888 in vico Borussiae orientalis cui nomen est Eydtkuhnen patre Gustavo et matre Augusta de gente Kempin, quos adhuc vivos pio gratoque animo colo. Fidem profiteor evangelicam. Cum quartum agerem annum, parentes Regimontium transmigraverunt, ubi in ludo litterario ad gymnasium Palaiopolitanum adiuncto primis litterarum elementis imbutus gymnasium ipsum per novem annos frequentavi. — Vere anni 1906 testimonium quod vocatur maturitatis adeptus academiam Friburgensem adii, ut studiis philologiae me darem. Autumno eiusdem anni Ruperto-Carolam petivi, unde anno post Regimontium regressus inter cives academiae Albertinae receptus sum. — Proseminario philologo per tria, seminario vero per duo semestria interfui. Ad exercitationes archaeologicas *Rossbach*, grammaticas *Tolkiehn*, geographicas *Hahn*, philosophas *Goedeckemeyer* benignissime me admiserunt. Praeterea quod per quinque semestria societatis Latinae sodalem esse mihi licuit, valde gaudeo eoque magis doleo, quod *Ludovicus Jeep* societatis illius rector idemque non modo vir litteratissimus, vero etiam humanissimus, praematura morte his litteris nuper abreptus est.

Docuerunt me viri doctissimi

Friburgi:

Hense †, Kluge, Reckendorf, B. Schmidt, Thurneysen, Uebinger, Wahl.

Heidelbergae:

A. Dieterich †, de Domaszewski, de Duhn, de Waldberg.

Regimonti:

Baumgart, Deubner, Hahn, Jeep †, Krauske, Ludwich, Meissner, Rossbach, Tolkiehn, Wünsch.

Quibus viris omnibus gratias ago maximas, imprimis autem *Ioanni Tolkiehn* qui cum alias opera et consilio me adiuvit tum in hac dissertatione conficienda, quam uberrimis verbis ad amplissimum philosophorum ordinem datis illustravit atque commendavit.